GESTORUM
GLORIOSISSIMI ac INVICTISSIMI
VLADISLAI IV.
PARTIS SECUNDÆ
LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.
ARGUMENTUM.

VLADISLAI IV. in Poloniæ Regem electio.

SUMMARIUM.

Sigismundus III. singulari beneficio Dei ad Senectutem pervenit. Gustavus Adolphus Regno ejus insidiatur: Russelius Subdelegatum & litteras ad varios Senatores mittit. Litteræ Sigismundo Regi traduntur. Regis in Senatores fiducia, & Senatorum erga Regem fidelitas. Instrumentum legationis & litteræ comburuntur in foro. Subdelegatus

Ruſſelij cum ignominia & in ruſticali curru dimittitur. Filij Regis, à Republica, à tergo lateribusque Regis, in comitijs publice collocantur. Sigiſmundi Regis mors & laus. Comitia Varſaviæ. Omnium oculi in Vladislaum Principem, cujus Regiæ virtutes enumerantur. Mira circa Electionem ejus animadverſa. Concordibus omnium votis in Regem eligitur, & lætitia univerſorum, ob ejus electionem.

Sigiſmũdus III. ſenex.

IAm raro Dei naturæque beneficio Sigiſmundus III. Poloniæ Sueciæq; Rex, ad laſſæ ætatis debilitatem rugasq; pervenerat: & præceps quodammodo ad occaſum vita, per minus quotidie vitæ currebat. Interim prole numeroſa, paternæ virtutis æmula & hærede, in qua & vivere & regnare (ſi ita viſum Superis) in multas generationes poſſet, beatus. Quod tantũ ſolatium ejus, ille, qui tum res novas paſſim moliebatur, Guſtavus Adolphus non parum turbavit. Viditque ſe vivente, & ſtipata adoleſcentibus optimis digniſſimisq; Domo, in nullo Filiorum ſuorum degenerante, Regiis oculis ſuis Sigiſmundus, quod ille Sarmatico Sceptro, per Ruſſelium Legatum ſuum, inſidiaretur. Venit hic damnabilibus inſtructus chartis: ſed dum in procinctu & limitibus Sarmatiæ eſt, non auſus progredi, Subdelegatum cum inſtrumento,

Guſtavus Adolphus Regno ejus inſidiatur, per Ruſſeliũ Legatum ſuum.

variisq;

variisq; ad diverſos Senatores litteris, Warſaviam ad comitia mittit, timorem ſuum ægritudine larvans; cum, ad quam integros, incorruptibiles, Regique ſuo fideles, litteras deſtinaret, non neſciret; adeoque, ante exordium inauſpicatæ rei, jam de exitu minus proſpero ſuſpicaretur. Non fugit, quâ providentia erat, Sarmatiæ univerſæ Senatum, novæ rei pondus: & jam ſagaciter conſilia ſubodoratus, antequam ſigillum litterarum ſolveret, ad Sigiſmundum Regem ſe contulit, quod ſuſpicabatur aperuit, et, quid tali in negotio fieri vellet, ſubmiſſe quæſivit. Rex, per Thomam Zamoſcium Cancellarium ſuum, fidem ejus commendans, non parum Sanctioris erga ſe Concilii reverentia recreari reſpondit. In mentem quippe redire & idem gloriari poſſe, quod in ſolenni Principum externorum, qualitates terræ ſuæ laudantium, Sigismundus Primus; qui unicam hanc gloriam ſuam dixit, cum omnia poſſideret quæ cæteri, quod in cujusque ſubditi ſinu ac pectore dormire tuto ſecureque poſſet. Quod ad litteras autem & Legatum attineat, etiamſi eâdem, in ſimili caſu, quâ olim Carolus, ratione procedere poſſet, tamen, proniore ad clementiam natura, Cœleſtium more, delinquentibus indulgere. Eant itaque, audiant, legant, conſultent; neutiquam ſe fidei eorum diffi-

Litteræ ejus Sigiſmũdo Regi traduntur.

Regis in Senatores fiducia.

 diffi-

diffidere; cujus experimentum semper, & jam vel insolentius fecerint. Dictum, factum. Inspexit Sarmatiæ universæ Senatus litteras, & singulos abominabatur paragraphos, cum tot, in nunquam satis laudabilem Austriacam Domum, & innoxios Societatis Jesu Patres, obliqua legeret: cum incurabiles Reipublicæ morbos, ab hoste prius (scilicet) quam à se animadversos, miraretur: & imminentia, ab Oriente & Septentrione, Regno mala, vera quidem, sed non, nisi Gustavo Adolpho Polonorum Rege, avertenda rideret. Quasi is vero, & non Vladislaus Ariadna illa esset, quæ Theseum hunc (Sarmatiam puto) prudentiæ suæ fortitudinisque filo, è labyrintho periculoso eductura esset. Quid ergo? Nunquam pronior (qui vel maxime pronus semper fuit) Senatus universi in Sigismundum optimum Regem affectus elucere potuit. Unanimi quippe iterum consensu, & hæc, & quicquid alibi litterarum erat, ad eum deferebatur. Qui innocentiam ipsorum & integritatem laudans, eorum reliquit arbitrio, quicquid faciendum porro videretur. Itaque, rogo in medio fori structo, piacularibus flammis litteræ comburuntur: & latores, rusticali plaustro ad Russelium suum revehebantur.

Senatorũ erga Regem fidelitas.

Litteræ publicæ comburuntur in foro.

Tan-

Tantum vero abfuit ut à prole regia, ad Gustavum Adolphum, Senatus declinaret affectum, ut iisdem in Comitiis, Terrestres Nuntii, toti⁹ Nobilitatis Legati, à Sigismundo Rege suo peterent (quod nunquam antea factum) ut Soboli Regiæ locum in Comitiis faceret, à tergo lateribusque suis: ut Reipublicæ paulatim assuesceret, parentisque Regis judicia imitaretur; adeoque, tanquam successuris aliquando Regibus, abblandirentur.

Filii Regis in Comitiis à tergo Regis collocantur.

Cæterum Sigismundus Rex, adversitate illa defunctus, integritati innocentiæque Senatus Regni sui, experimento irritatæ, porro confisus, Sarmatiam, prolemque suam, quotidianis precibus, de cætero, justo Numini commendavit. Adeoque, ut erat piissimus, continuis ad Deum votis meditationibusque Divinis, tantillum, quod reliquum erat, vitæ transegit. Hoc quoque in extremis ei indulgentibus Superis, ut fiducia, de filio Vladislao successuro sibi, à Senatoribus ipsis concepta, pleno judicio, & omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis munitus, Cœlestibus animā consignaret. Mortuus est, Anno post Christum natum, M. DC. XXXII. 30. Apr: Rex vere piissimus, Clementissimus, & Catholicæ fidei tenacissimus: ipse in armis fœlix, per Vladislaum filium, Divino

Sigismũdi Regis virtutes, Mors, & laus.

An. 162. 30. Apr.

 quo-

quodam beneficio, felicissimus; cui adversa quædam, ex votis plurima contigerunt.

Gnesnensis Archiepiscopus disponit negotia Regni.

Post ejus mortem Johannes Wezyk Gnesnensis Archiepiscopus Primas Regni, de Salute Reipublicæ, jam suæ, sollicitus, Provinciarum Nuntios convocavit, et, prævia, contra internos externosq; hostes, confœderatione, singulis Palatinatibus dati judices, & securitati publicæ prospectum, constitutumque comitiorum tempus, quo Rex novus eligeretur.

Omnium oculi in Vladislaū Principē.

Interim oculi omnium in Sobolem Regiam convertebantur, cujus qualibet optimum Parentis optimi Epitaphium erat, in quo singulæ Sigismundi virtutes fuse legebantur. Maxime tamen Vladislaus Princeps, jam hæreditarius & Serenissimus Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, electus Magnus Moscoviæ Dux, animos omnium oculosque afficiebat; cum eum quisque Regem suum destinaret, & jam Sarmatia tacita animorum concordia veneraretur. Quemadmodum enim

Sen. Consol: ad Marciam

agricola, eversis arboribus, quas aut ventus radicitus evulsit, aut contorsus repentino impetu turbo confregit, sobolem ex illis residuam fovet, & amissarum semina statim plantasque disponit, & momento adolescunt amissis latiora; ita Sarmatia, Sigismundo Rege defuncto, prolem ex eo residuam fovit, eamq; statim

statim ad Regnum disposuit: cum jam adolesceret quotidie, immo (si ita fas loqui) adolevisset, amisso lætior.

Regiæ Vladislai virtutes.

Inerant quippe Vladislao virtutes Regiæ omnes, adeo ut sæpius, Sigismundo adhuc viventi, Primates, de absolutissimo filio congratularentur, & felicitatem suam deprædicarent, quod non alibi quærendus illis Poloniæ Rex, sed in ipsa Sarmatia & prole Regia esset.

Prudentia.

Prudentia quasi ingenita erat, quę à puero Principem, per adolescentiam, comitata nunquam fefellerat. Immo tantū jam olim apud hostes Moschos valuerat, ut ab illis, propemodū adhuc puer, & maximo Imperio sufficere judicaretur, & in Magnum Ducem eligeretur.

Temperantia.

Temperantiâ omnibus in aula versantibus exemplo fuerat, plurimis incitamento: Nomentanos, Apicios, & Mœcenates, terrarum ac maris bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia, & ebrietate quotidiana vertiginosos, semper aversatus; memor plenissimos esse voluptatibus stultissimos quosque, & nequitiam abundare jucundis: magis amans remissas Sapientum voluptates & modestas, languidas fere compressasque, immixtas interpositasque vitæ, ut inter seria ludi. Jam vero, affectibus domandis, robustissimo semper animo fuerat, ne mi-

ne min⁹, inter quotidianas victorias, fortis animo, quam manu viribusque diceretur: non ignarus *gentes facilius esse barbaras impatientesque alieni arbitrij regere, quam animum suum continere & tradere sibi.*

Sen. lib. 4 de ben.

Clemētia

Clementia, licet adhuc sub Patre & nondum omnino sui juris, tamen sæpiuscule se ostendebat, cum & hostibus cædi destinatis aliquando parceret, pro supplicio adjudicatis intercederet, nec inimicos quidem suos & adversarios, pro aliorum voto, ulcisceretur. Et recte hoc quidem ad morem Cœlestium, & optimæ gubernationis normam. *Quod si enim Dij placabiles & æqui delicta potentium non statim fulminibus persequuntur: quanto æquius est hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperium, & cogitare, utrum Mundi status gratior oculis pulchriorque sit sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant. Atqui non alia facies est quieti moderatique imperij, quam sereni Cœli & nitentis. Crudele Regnum turbidum, tenebrisque obscurum est, inter trementes & ad repentinum sonitum expavescentes, nec eo quidem, qui omnia conturbat, inconcusso.*

Sen lib. 1 de Clem:

Humanitas.

Humanitate, comitate, affabilitate, tantum Sarmatas alios supergressus erat, quantum ipse dignitate super cæteros omnes eminebat: nam cum utilem se efficere civibus suis mortalibusque universis proposuisset, non tantum paratus erat petentibus aliquid, sed obvius; nunquam contracta cuiquam fronte rugosus, sed liberalis, lætus, lenis. Adeo ut Serenitate mentis, antequam Rex, jam Serenissimus esset: occulto virtutis & naturæ suæ genio ad summa trahente, ut jam hoc possideret, unde Reges Serenissimi nominantur, antequam eligeretur, antequam coronaretur. Neque enim ego ullam aliam ob rationem Reges Serenissimos appellatos judicaverim, quam ut jugiter Serenitatis suæ memores, eandem plane faciem servarent, lætam, comem, placidam, & inconcussam.

Fortitudo & felicitas.

Fortitudinem tot præliis, certaminibus, hostibusque devictis, tot per annos, tot per arma, tot per hostes probatam, non poterat Orbis satis admirari: qui juvenilibus annis, plures, potentiores, formidabilioresque hostes vicerat, quam cana ætate etiam felicissimi Duces consuevissent. Quid Moscovia vastius? Quid Turcia populosius? Hanc terruerat, illam subjugarat: huic Leges posuerat, illi imperarat: istorum potentiam & Imperium tantum non everterat, horum paucis, non dico annis, non dico mensibus aut septimanis, sed diebus, concusserat & debilitarat. Adeo ut verius de

illo, quam Pompeio Magno, illud Ciceronis usurpari posset, cum tam periculosum Bellum tam parvo tempore confecisse, *quantum aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut ab uno Imperatore omnibus annis, confici posse videretur.* Felicitatem vero, cum per tot victorias, nunquam interruptas, nunquam corruptas, comitata fuisset, comitaturam porro, Cœlesti beneficio, sperandam esse.

Orat. pro Lege Mani:

Liberalitas.

Regia demum illa virtus liberalitas, in Regio Vladislai animo altius radices fixerat, adeo ut liberalissimus Principum sui temporis merito diceretur. Inerat quippe illi particula quædam Divinæ auræ; adeoque liberalius de facultatibus suis dispensans, non tristi, non rugosa fronte, nec rogatus multum, sed ultro quotidie offerebat. Jucundiora enim sunt, quæ humana facie, leni, placidaque tribuuntur, quæ cum dat superior non insultat, sed descendit in æquum detrahens muneri suo pompam. Recte ad naturam beneficii, quod conferre, non perdere liberalitatem, Vladislaus cupiebat. Quid enim beneficium est? *Benevola actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id, quod facit, prona, & sponte sua parata.* Hac itaque vera liberalitate omnium animos sibi colligabat. Quæ profecto tanta in hoc Regio Principe semper emicuit, ut alias, & apud exteras nationes degens, tam copiose dona-

Sen: lib. 1 de ben:

donaret, ut à quibusdam etiam declinare nonnihil ad alteram partem judicaretur. Sed nesciebant illi, quod in aliis vitium, in Regibus Principibusque virtutem esse, *quos eo loco fortuna posuit, ex quo largiri multa possunt,* & quos armis quam beneficiis vinci minus flagitiosum est.

Sen: lib. 5 de ben:

Suspiciebat ergo Sarmatia Universa hanc Regiam indolem, hunc integerrimum animum, in quo omnes virtutes Regiæ, imo, quod amplius, boni Viri, non tantum inerant, sed etiam eminebant. Quid enim aliud, si liceret inspicere, in boni viri animo inveniremus? *Pulchram faciem,* inquit Seneca, *sanctam, ex magnifico placidoque fulgentem videremus: hinc justitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus. Præter has frugalitas, & cõtinentia, & tolerantia, & libertas, comitasq́, & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum affunderent. Tum providentia, tũ elegantia, & ex istis magnanimitas eminẽtissima, quantũ, Dij boni, decoris illi, quantum ponderis gravitatisq́ adderent? Quanta esset cum gratia authoritas? Nemo illum amabilem, qui non simul venerabilem diceret.* Quid horum in absolutissimo Vladislao non vidimus? Ideoque hunc boni Viri, & hunc Regium vere animum, promiscue omnes non amabilem tantum, non venerabilem tantum, sed Sarmatico

Anhelabant Sarmatæ Vladislaum Regem.

Epist. 95.

Sceptro dignissimum agnoscentes, imperare sibi anhelabant: unum illum, plus quam oneri illi parem, qui Sarmatiam sustineret, & liberrimis nobilissimisque Viris mentibusque jura daret, prædicantes.

Comitia incohoantur. Et jam determinatum tempus comitiorum aderat, & paulatim Senatores, Episcopi, Palatini, Castellani, Nuntii terrestres, Nobilesque conveniebant, cum, tentoriis extra Warsaviam in aperto campo fixis, fossa Primates à vulgaribus distinguerentur: extra quam, caupones, lixæ, calones, castris quodammodo exesse jussi, & à nucleo nobilitatis secreti, degerent. Tum jucundum illud risuque dignum contigit, quod, cum Senatores omnes, Palatini, Castellani, Capitanei, aliisque promiscue Nobiles, propter obitum Sigismundi Regis pulla veste convenissent, neminemque jam velamenta distinguerent, promiscue Baietto tecti, sæpius humilioris conditionis homines, præsertim si lineamenta corporis, gravitas, incessusque venerabiles proposuisset, Senatoribus & Palatinis ignoti, ab iisdem non vulgariter, sed pro Magnatibus honorarentur.

Duo notabilia circa electionem Vladislai Cæterum multos dies, immo Septimanas, de legibus & conditionibus, novo Regi præscribendis, & ab ipso ratificandis, tenuit, antequam ad electionem descenderetur. Cum autem convenire præstituto tempore nequivissent, consultius visum eligere, & iterum convenire. Duo autem notabilia & maxime rara, circa novam illam electionem, acciderunt. Alterum, quod toto consultationis & electionis tempore, noctibus singulis à Cœlo pluvia deorsum fusa, mira vicissitudine, dies serenissimas semper natura indulserit: adeo ut, cum de Serenissimo Vladislao Principe eligendo universorum mentes occuparentur, favere Superi, applaudere Cœlum, & ipsa rerum natura videretur. Alterum, quod, inaudita felicitate, Vladislaus æmulum in electione nullum habuerit: Ita mentes omnium, seu desperatione, seu reverentia, seu affectu, cum dignissimum omnes judicarent, in unum conspiraverant. Intercessere ipsi Serenissimi Fratres, Romanus quoq; Pontifex Urbanus VIII. Romanorum Imperator Ferdinandus II. Filius ejus Ferdinandus III. Hungariæ Rex, aliisq;. Placuit Reipublicæ, quod propositum suum, tôt exterorum Principum intercessionibus erigeretur. Nihil ergo restabat, nisi ut vota in voces crescerent, & qui jam animo Rex nominabatur, verbo diceretur. Solum hoc tempus remorabatur, quod tardius, exorbitantium affectu votis currere videbatur. Sed tandem & ipsa adfuit exoptata omnibus

mnibus ſerena fronte dies, Vladislaum viduæ Sarmatiæ Regem, Sarmaticum Vladislao collatura Regnum. Itaque, quod felix, fauſtum, fortunatumque, in campo ſub dio Reipublicæ capita convenere: adfuit Generoſa & ipſa votis concurſura Nobilitas, & plebs innumerabilis Warſavienſibus effuſſa portis, ad Solennitatem curioſa convenit. Johannes Wezyk Gneſnenſis Archiepiſcopus Primas Regni, unde initium rerum omnium, à Deo cœpit. Et Sacrum de S. Spiritu hymnum, populo ſuccinente, de geniculis inchoavit. Tum, prævia Oratione, ad talem eligendum Regem univerſos exhortatus eſt, qui Eccleſiæ Catholicæ ornamento, Reipublicæ Polonæ præſidio, Sarmatiæ univerſæ emolumento futurus judicaretur. Ne autem judicia humana fallerent, rogandum Deum Ter Optimum Maximũ, ut inſtillare ſenſibus omnium & intellectui, digniſſimum non dedignetur. Iterum ergo in genua provoluti adoravere. Interim vero (quod in tanta hominum pluſquam centum milliũ multitudine miraculo ſimile fuit) tam profundum ſilentium erat, ut ne hinnitus quidem equi, non tuſſis male ſani, non murmur aut ſtrepitus audiretur; immo ne hominum quidem umbra præſens fuiſſe videretur. Tum vero, cum illa Senatorum Primatumque Majeſtas ſe ſurſum movit, ora omni-

omnibus ſua rediere: ita geminato murmure, ut tacuiſſe tantum ad ingeminandas, recepto ſpiritu, voces viderentur. Inde mutua reverentia ab invicem diſcedentes, ſinguli Palatini ad ſingula tabernacula ſe contulere: & votum ipſi ſuum primo emittentes, à Primatibus Nobilibusq; ſingulis Palatinatus ſui collegere.

Hinc tertium, in ipſa jam electione, rarum emerſit. Cum enim Palatini, ad circulum ſub dio reverſi, univerſorum vota apud Archiepiſcopum Gneſnenſem deponerent, inſolenti quadam concordia, ita in unum Vladislaum conſpiravere, ut è tot millibus non unum fuerit, quod ad alium dirigeretur. Singulare hoc Dei beneficium erat, pacis & concordiæ Principis, qui eandem omnibus mentẽ Divinitus inſtillaverat. Amoris & affectus indicium erat, cum, quem pectore ſuo clauſum ſinguli geſſiſſent, communibus votis aperuiſſent. Immo & omen erat feliciſſimum fore, & concordiam pacemque ſubditis univerſis collaturum, in quem tam feliciter & fortunatè, tot diverſarum ſuffragia gentium, & Polonica, & Lithuanica, & Ruſſica, & Boruſſica, & Maſovitica, & Podoliana concordaſſent. Quem Senatores omnes, & Nobilitas univerſa, & Civitates præcipuæ, quibus ferendi, in electione Regum, ſuffragii jus competit, pari deſiderio anhelarant, unâ omnes elegerant mente ac voce.

Omnium votis Vladislaus Rex electus. Menſe Novemb. Anno 1632.

Sic

Sic etiam Archiepiſcopus Gneſnenſis accepit, & conſilia divina miratus, Deū laudans, Sarmatiæ novoq; Regi tacite congratulabatur. Itaque hilari fronte ad Marſcalcum Regni Lucam Opalinium converſus, Sereniſſimum Vladislaū hæreditarium Suecię Regem, electum Magnū Moſcovię Ducem, nunc electū Dei gratia Poloniæ Regem & Magnū Lithuaniæ Ducem, non ſine voluptate utriusq; declaravit. Marſcalcus Magnatibus Regni, inde populo univerſo, electum Vladislaum Poloniæ Regē, & Magnum Lithuaniæ Ducem, viciſſim aperuit, & primus votivam illam lætitiæ congratulationisq; plenā vocem, *Vivat*, ingeminavit. Tum vero univerſa multitudo imitata Marſcalcum, eandem vocē cum fœnore reddidit, tanto reboatu, ut multorū auditus periclitaretur, cum tot millium guttura ad raucedinem laborarent. Inde, cum promiſcuum vulgus cæpiſſet vociferandi vovendiq; ſatietas, ad agendas Deo, pro conceſſa felicitate, gratias, Senatores cōvertebantur. Et Genſnenſis Archiepiſcop⁹, SS. Ambroſii & Auguſtini hymnū. *Te Deū Laudamus*, ſolenniter inchoavit: qui Muſicorum vocibus, Chelis & Cymbalis continuatus, & tandem modeſte plerorumque circumſtantium vocibus, præ lætitia, quaſi coadjuvantibus, abſolutus, fortunatiſſimæ coronidem electioni impoſuit.

Electus Rex proclamatur

CA-

CAPVT SECVNDVM.

ARGUMENTUM.

VLADISLAI IV. in Poloniæ Regem Coronatio.

SUMMARIUM.

Reges à natura monſtrari: quæ varias Cæremonias, ad eos à vulgaribus diſtinguendos, excogitavit. Hæ Cæremoniæ explicantur: & quod Reges ab ijſdem officii ſui admoneantur. Polonia anhelat coronationem Vladislai IV. ut maturius ejus virtutibus, ab invaſione hoſtrum liberetur. Sed Vladislaus, febri correptus, & ſeptimanis aliquot lecto affixus, vota omnium nonnihil retardat. Tandem tamen convaleſcens Cracoviam proficiſcitur: quam Summa magnificentia & pompa ingreſſus, poſtridie Parentibus ſuis juſta perſolvit, & Anno 1633. 6. Feb: die Dominica, ſolenniter coronatur.

QUemadmodum Reges natura monſtravit, ita modum quoque ſuggeſſit, quo à vulgaribus diſtinguerentur, & non uno titulo venerabiles Terrarū Orbi proponerētur. Ad hoc eis Diadema, Sceptrum, Pomum aureum, Gladium, Sacram unctionē, Dalmaticā, piviale, & tot cæremonias, in coronatio

Natura Reges monſtravit.

C

natione adhiberi solitas, excogitavit partim, partim etiã revelatione Divina accepit, ut & sęcularib⁹ & Ecclesiasticis gradibus, ad dignam eminentiæ suæ Majestatem, Reges ascenderent: quæ omnia tamen vicissim Reges officij sui commonefacerent; ut quot Cęremonijs totidem fere Sacramentis, ad justum Regimen, instruerentur. Quid enim oleum, quo primo inunguntur, aliud, quam ut, à Deo faciendum initiũ, doceantur, et, sine ope Divina, tanto se operi impares, & infirmos cogitent; cujus, per untionem, benedictione, in omnibus cõfirmantur? Quid, immediate post unctionẽ, piviale & Dalmatica, nisi ut, quatuor initijs formato pallio, de potentia Dei pariter moneãtur; cui quatuor partes Orbis subjectæ, & cujus indulgentia Reges terram possident? Quid gladius, nisi ut, justitiæ memores, huius adminiculo, puniant improbos, molem iniquitatis, & hostes, destruant, & Ecclesiam, populosque sibi subjectos, à periculis fortiter tueantur? Quid Diadema, nisi ut eminentiam suam cogitent, et, quemadmodum dignitate & honore reliquos homines, ita rebus optimis quoque præcedant; nec virtute minus, quam præmio virtutis emineant: præsertim quia

Cæremonia coronationis Regiæ quid significẽt.

Regis ad exemplum totus componitur Orbis?

Denique (ut singula non discutiam) quid Sceptrum

rum sive virga, nisi ut, unde Reges nominantur, moderati regiminis recordentur, et, procul tyrannide, se populorum quasi Magistros cogitent, et, è subditis, malos terreant, bonos elevent, errantes autem & dubios, aut doceant, aut confirment? Recte ergo, tum ad dignitatem eorum, tum ad utilitatem etiam, statim post electionem, vel ipso auspicio sui regiminis, Diademate Reges coronantur; ut uno semel compendio, & sui, & officii sui, à Cæremoniis ipsis admoneantur.

Itaque amabat quoque Polonia Vladislaum IV. quem ob easdem rationes in Regem suum elegerat, cæremoniis etiam solitis solenniter confirmari: & amabat impensius, & serio magis, quo maturius ejus virtutibus erigeretur, & ab insultibus hostium Respublica liberaretur. Jam enim & Sarmatiam Mosci intraverant, imminebant Turcæ, vagabantur Tartari, & è longinquo Sueci minabantur. Et anhelabat ipse Vladislaus etiam, ut, dignitate consummatâ, expeditus in hostes & prælia proficisceretur; adeoque Regnum maximum, quod ob virtutes Regias omnes electione acceperat, victis in circuitu hostibus, pacifice possideret. Sed ipsius, & omnium vota, importuna, post electionem ejus, infirmitas nonnihil retardavit. Acutissima enim febri correptus, maximo omniũ

Regis infirmitas coronationem retardat.

cum dolore,decubuit,& non, nisi postSeptimanas aliquot,vires recepit.

Convalescens Cracoviā proficiscitur.

Ut primum autem valetudo in melius ivit, ad consuetum hujus solennitatis locum, Cracoviam profectus est. In cujus viciniam cum venisset, in amęnissimo prædio Cellariorum, medio circiter à Cracovia milliari, noctem unam transegit. Ubi illuxit, tanta Senatorum, Capitaneorū, Nunciorum Terrestrium,& promiscue aliorum Nobilium,ad cohonestandum eius ingressum,multitudo confluxit, ut numerosi exercitus speciem præberet. Superant enim, in hac parte, omnes facile Nationes Orbis,Poloni,quas non numero tantum, sed etiam splendore transcendunt.

Ejus solennis ingress9 An. 1633. 3. Feb.

Itaque Vladislaus Rex,aliquot Nobilium millibus comitatus, ea magnificentia Urbem ingressus est,ut triumphū potius quam ingressum diceres. Præcedebat Archiepiscopus, quem Episcopi, Palatini, Castellani, Capitanei, Nuncij Terrestres, externorum Principum Regumque Legati,& alij, æmulo vestium apparatu, suo quique ordine, Nobiles comitabantur: quorum aliqui, præsertim Senatores,centenis aliquot famulis,pro more Patriæ, comitati, Hunnorum alij, Gothorum Wandalorumque alij,Turcarum,Tartarorum,Persarum,& Hungarorum alij,& omnium fere gentium,aut ut viguit

viguit olim, aut ut usurpant modo, habitum referebant. Nec interim Cracovienses feriabantur: quorum alii, è tota Pentapoli, in occursum Regium, multis cuneis egrediebantur: alii expurgatas plateas pinearum semper virentium sertis, & parietes ædium tapetibus variis exornabant. Sic Rex, extra Urbem,à diversis, diversorum Cracoviensium Oppidorum, Senatoribus Salutatus, sub aureo Cœlo, inter frequentes tormentorum explosiones, in Urbem equitabat, & Regium deinde Palatium, inventionibus novis & variis exornatum, subiit.

Parentibus suis justa persolvit 4. Febr.

Antequā autem coronaretur,placuit prius Serenissimis Parentib9 suis(nam Regina quoq; non ita pridem obierat) justa persolvere. Quod sequenti die omnium Senatorum comitatu factū, prosequentibus,Orationibus gravissimis, typoq; vulgatis, Mathia Lubinski Plocensi Episcopo, & Johanne Lipski, tunc quidem Culmensi & Pomesaniæ Episcopo, nunc autem Archiepiscopo Gnesnensi, Primate & Primo Principe Regni. Tertia autem ab ingressu die, more Regibus Polonorum consueto, pedes, licet nondum omnino in valetudine confirmatus, rupeculam Casimirianam ascendit, & S.Stanislai reliquias venerabatur.

Sexta

Ejus in Regē Poloniæ coronatio 6. Febr.

Sexta demum Februarii die, quæ erat Dominica, ad ſolennia coronationis proceſſum eſt. Tum Johannes Wezik Gneſnenſis Archiepiſcopus, Pontificaliter indutus, cum diverſis Epiſcopis, Abbatibus infulatis, & toto Clero, ad Palatium Regium proceſſit: quod cum Epiſcopis ſolis ingreſſus, Regem (per Marſchalcum interim, ſandaliis, tunica, chirothecis, alba, Dalmatica, Pallioque veſtitum) inter Primores Regni ſtantem, aqua benedicta aſperſit, & acceptum, inter Epiſcopos Cracovienſem & Cuiavienſem, medium, præferentibus Senatoribus, quibus hoc officii eſt, Coronam, Sceptrum, pomum aureum, & gladium evaginatum, ad D. Stanislai Baſilicam, ſolenni proceſſione deduxit. Ibi, poſtquam regalia, qui ea portabant, Senatores, in altare depoſuiſſent, & Rex, ex concepta formula, juramentum, de ſervandis & manutenendis Juribus, Privilegiis, Libertatibus Eccleſiaſticis & Sęcularibus, privatis & publicis Regni & M. D. Lithuanię, præſtitiſſet, Dalmatica & piviali exuebatur: quibus, cum ab Archiepiſcopo oleo Sacro eſſet inunctus, ſolenniter iterum indutus, ab eodem Archiepiſcopo gladius, ejus dexteræ prius inſertus, lateri accingebatur. Inde diadema illi impoſuit, & aureo pomo ſiniſtram, dexteram vero Sceptro implevit. Quibus ſolita ſolennitate peractis, Rex panem & vinum ſub offertorio obtulit, et, pacem (ut dicitur) exoſculatus, Sacroſanctum Chriſti Corpus accepit. Demum, abſoluto Sacro, ad thronum, medio templo ordinatū, ab Archiepiſcopo ductus, & (ut ita dicam) inthroniſatus, gubernaculis Regni præficiebatur. Ita Vladislao ſolenniter in Poloniæ Regem coronato, Archiepiſcopus, *Te Deum Laudamus*, exordiebatur: quo omni muſicalium inſtrumentorum genere abſoluto, Rex, accepto in manus ſacro gladio, aliquot optime de Republica meritos, ad Equeſtris ordinis dignitatem evexit. Ad Palatium deinde deductus, accumbentibus ordine Senatoribus, ipſe in throno, ad menſam eminentiorem, cibum cepit. Et ita quidem iſtius diei ſolennitati litatum.

Feſtivia poſt coronationem

Sequenti die Rex, præferentibus Senatoribus iiſdem regalia, maxima cum ſolennitate, ad forum deductus, à civibus, in edito Solio, ad hoc pulcherrime juxta prætorium facto, jusjurandum, & pretioſiſſima aurea & argentea dona accepit: et, ſiniſtra pomum aureum, dextera gladium evaginatum tenens, aliquot benemeritos, iterum nobilitate donavit. Subſequentibus deinde

inde diebus, coronationis ſuæ ſolennia, tum ſpectaculis variis, tum audiendis congratulantium variorum Principum legationibus clauſit; & mox ſimul à ſolennibus animum ad alia tranſtulit, quæ ſequemur.

CAPVT TERTIVM.

ARGUMENTUM.

VLADISLAI IV. Solennis legatio miſſa Romam.

SUMMARIUM.

Vladislaus Rex, poſt coronationem ſuam, Georgium Oſſolinski, ad obedientiam Summo Pontifici præſtandam, Romam mittit. Hic Georgius Oſſolinski deſcribitur: ejus prudentia in inſtruenda legatione. Stupenda magnificentia Romam ingreditur, & obedientiam Summo Pontifici, Vladislai IV. nomine, miræ eloquentia præſtat. Filij unici titulo à Romano Pontifice cohoneſtatur, & eadem Pompa regreſſus, majorem Polonicæ Nationis æſtimationem, Vladislai vero Regis maximam, Orbi illidit; adeoque legatio hæc, in ſummam utriusque gloriam deſiit.

SOlennitatibus coronationis peractis, more Imperatoribus Regibusque Chriſtianis conſueto, de obedientia Summo Pontifici exhibenda, Poloniæ Rex Vladislaus IV. cogitare cæpit: quam præſtare quidem certiſſimum erat, ſed per quem in deliberationem venit. Oportebat enim talem eſſe, qui Regis Septentrionalium maximi Ma-

Rex Georgium Oſſolinski Legatum Romam legit.

jeſtatem, eminentiã, & magnitudinem, moribus ſuis referret: qui triumphos & victorias ejus, tum & liberrimæ gentis magnanimitatem, generoſitate ſua exprimeret: & deniq; talem per quem Vladislaus, & Polonia loquerentur. Itaque Rex non minus judicio quàm imperio maximus, cæpit oculos ſuos circumferre ad opus, & cum plurimos in fortunata hac parte Polonia dignos intueretur, unum tamen ex omnibus Georgium Oſſolinski legit velut oportuniorem. Quem Virum, quia non tantum tanti circa ſe Regis opinioni reſpondit, ſed perennem etiam terrarum Orbi, inuſitata hac ſuæ legationis diſpoſitione, ſplendore, & ordine, ſtuporem illiſit, circa rarum velut una rapti, curioſius aſpiciemus.

Quis iſte Georgius Oſſolinski.

Ille itaque Georgius Oſſolinki Comes in Teczyn, antiquæ nobilitatis familia genitus, pueriles & adoleſcentiæ annos, more majorum ſuorum, non amœnioribus tantum, ſed ſeverioribus etiam Muſis impendit: & adeo quidem feliciter, ut eaſdem, quas diu coluerat, tandem in ævum ſocias ſibi adjungeret. Inde animus ille diſcendi avidus, & Poloniæ terminis neſcius circumſcribi, pleraq; alia Europæ Regna, in ſpem majoris fructus, ſibi impreſſit. Nec minori quam conceperat utilitate, Germaniam, Belgium, Galliam, Italiamque peragrans, omnium iſtarum regionum linguas, & neceſſariam ſcientiis conſummandis experientiam, in Poloniam retulit. Mox ergo publicis rebus admotus, eam prudentiæ & omnis eruditionis famam ſparſit, ut legationibus extraordinariis regni adhiberetur. Ita Anno 1621. cum periculoſum illud bellum Valachicum immineret, à Sigismundo III. glorioſæ memoriæ, Legatus in Angliam miſſus, & è naufragio quaſi reſurgens, etiam ab illo Rege ſubſidium militum impetravit: quamvis, ob belli illius inopinatum finem, ſerotinum illud, & alterius dolo alio tractum. Ab eo tempore, in ſummis ſemper officiis, Curios, Tuberones, ac Fabricios imitatus, ea ſanctitate vixit, ut nulli corruptioni obnoxius, publice & aperto capite potuerit dicere: *Libertates Regni non vendidi.* Suppar Oſſolinio huic, hac in parte, Petrus Roſe, in Belgio Sanctioris concilii Præſes: qui, antequam ad hunc eminentiæ gradum aſcendiſſet, ea ſemper integritate vixit, ut Secretarius ejus, hanc illi dignitatem, ob ſolam virtutem ejus, ominaretur. Tandem, in ea jam conſtitutus, ad aucupandam gratiam viri, non infimæ conditionis homo, pretioſiſſima munera obtulit. Quæ ille cum generoſe ſpreviſſet, eo tandem ab importuno flecti ſe paſſus eſt, ut caput porcinum ſe admiſſurum pro-

mitteret. Quod cum alter, catena aurea circa dentes diſpoſita, & rictu oris adamantibus auroque repleto, obtuliſſet, ille, præ indignatione impalleſcens, *ergone me corruptibilem*, inquit, *judicaſti? Apage: nec aliud à me porro, quam ſupercilium meum, & juſtitiæ publicæ rigorem exſpecta*. Et quam
Epiſt. 74. recte hoc illi! *Prudentiſſimus quisque*, ait Seneca, *cum primum induci videt munuſcula, à theatro fugit, & ſcit magno parva conſtare*. Cæterum, ut ad propoſitum revertamur, Is, & ejuſmodi erat Georgius Oſſolinski, cum ſupremus Polonicæ coronæ Legatus, à Vladislao Rege, Romam deſtinaretur. Quo munere deinde maxima ſua cum laude, & totius Orbis admiratione defunctus, Legatus poſtea, ab eodem Rege, & ad Rempublicam Venetam, & ad Sereniſſimum Electorale Collegium Ratisponam miſſus eſt. Et talis Sacratiſſimo Imperatori Ferdinando II. apparuit, qui majoribus titulis dignus judicaretur. Itaque, ab eodem Cæſare, in Sacri Romani Imperii Principem elevatus, parem meritis ſuis dignitatem in Sarmatiam retulit. Sed hæc per anticipationem.

Omnia ad legationem neceſſaria diſponit. Ut primum ergo hic Princeps Oſſolinski, hoc legationis officium Romam, juſſu Regio, ſibi ſubeundum ſenſit, ſtatim ad media, quibus tanti Regis, à quo mittebatur, Majeſtatem, victoriarum ac

ac triumphorum gloriam, prudentiæ ac magnificentiæ famam, divitias, vires, & arma, quaſi primo intuito, ſpectatrici Romæ, veluti compendio terrarum Orbis, ingereret, animum vertit. Ad quæ, multa conſideranti, tria potiſſimum neceſſaria videbantur. Primo, ut comitatum & famulitium legeret, probitate, moribus, corporis proceritate, ac authoritate vultus, muneri ſuo conveniens, & ex quo ſinguli, ſicut ille Regem, ſe loquerentur; non neſcius, ex horum compoſitione, judicium de Rege, de Regno, de Legato ſumi. Secundo, ut omnes ſecum veſte patria uterentur: tum quia nihil in illa fœminei, et, procul ab omni mollitie, magis venerabiles viros proponit, & militares animos virilius exprimit: tum etiam, quia nunquam antea Romæ viſa, ipſa ſui novitate, tractos in curioſiorem conſiderationem intuentium oculos, recrearet. Non ignorabat enim prudentiſſimus Princeps, ſi peregrina occidentalium nationum veſte uteretur, languidius homines concurſuros; nihil amplius quippe viſuri, quam quod quotidie præter oculos iret. Præſertim cum in earundem veſtium ſplendore nihil, quicquid excogitari poterat, à Criquio nuper, Galliarum Regis Legato, fuerat intermiſſum. Hunc ſequi videri poſſe, ſi in eadem veſtium ratione ſplendorem æmula-

mularetur. Sed & Criquius idem, & notabilis fulgor legationis illius, in mentem veniebat: cui cedere Vladislaum Regem, gentemque Polonam, è dignitate utriusque conveniens non judicabat. Hinc ergo tertiũ, quod neceſſarium videbatur, emerſit. Videlicet ut, quod in Criquii legatione argentum fuerat, aurum faceret: quod aurum, uniones & margaritas: quod uniones & margaritæ, ſmaragdos, pyropos, chryſolitos faceret & adamantes. Adeoq; non uno modo ſplendidior, & comitatus ſui elegantia, & veſtium ibi inuſitatarum novitate, & inæſtimabilium rerum pretio pompaque, de omnibus ante hac legationibus, ad Pontificem Romam miſſis, quodammodo triumpharet.

Laudabile eſt in legationibus velle eminere.

Scrib. lib. ſecundo.

Laudabile autem hoc in Regibus & Legatis, hac in parte, ſtudium eſſe, velle eminere, tum Politicorum omnium ſcriptis, tum inveterata, à tot ſeculis, Regum conſuetudine, comprobatur. *Ita Artaxerxes Perſarũ olim*, Politico-Chriſtiani verba ſunt, *ad Alexandrum Romanum, quadringentos in una legatione miſit, omnes corporum proceritate & ornatu inſignes, ut merito dubitaverint ſpectatores, corpora ornatum veſtibus, an veſtes corporibus darent. Ita mutuo in his forma & veſtis lenocinabantur, mutuoque ſplendore decus addebant & admirationem.* Sic ante ſeculum integrum, & tot inſuper annorum

rum decades, magnanimus ille Galliæ Rex, non ſplendidam tantum legationem ad Pontificem Romam, ſed equos etiam argenteis ſoleis calceatos, primus in Urbem miſit. Sequutus modernus Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus XIII. & equos pariter, ex eodem metallo ſoleis, calcantes humũ, cum Criquio Legato ſuo, in eandem Urbem miſit, & numero perſonarum, in admirabilem magnificentiam exornato, prædeceſſores omnes ſuos ſuperavit. Ut taceam, & in China, & in Japonia, & in aliis Regnis, ab Europa toto Cœlo diſcretis, eandem Regum Legatorumque æmulationem ſtudiumque legi.

Princeps Oſſolinski in Italiam proficiſcitur, & Pontificem privatim ſalutat.

Itaque, ut ad Oſſolinium Principem revertamur, hic ſecundum laudabilem hunc tot gentium & ſeculorum morem, omnibus, eadem magnanimitate, qua conceperat, in effectum deductis, longinqui tandem itineris ſeriem feliciter auſpicatus eſt. Et quamvis non lente procederet, non ante tamen, quam Anno 1633. 20. Novembris, Romanæ Urbis territorium attigit: cui ſtatim octoginta ſexigæ Cardinalium & Romanorum Equitum, cum Cardinale de Torres. Ampliſſimi Poloniæ Regni protectore, octo ultra pontem Militum milliaribus Italicis, obviam prodierunt. Cum autem Summus Pontifex Urbanus VIII. gravi tunc temporis

Anno 1633. 20. Nov.

poris catharro decumberet, peracto mutuæ ſalutationis officio, ab eodem Cardinale de Torres, aliquot Roma milliaribus, verſus portam Flaminiam, ad Palatium Julii III. deductus eſt. Inde, aſſumptis comitum ſuorum præcipuis, ipſe cum Cardinale De Torres, rheda Cardinalis Barberini, invitante Filo Marino Cameræ ejus Præfecto, exceptus, Romam properavit, ut Summum Pontificem privato nomine ſalutaret. Quod diſertiſſima Oratione, & concinnatis in miram officioſitatis ſpeciem verbis ex tempore faciens, ſtatim prima quaſi ſuperficie rerum, amorem Summi Pontificis, nec non eximiam eloquentiæ laudem meruit. Adeo etiam ut Summus Pontifex ſummopere dolere ſe diceret, quod infirmitate impeditus, non ſtatim pro voto ſuo, gratiſſimo ejus ſolenni ingreſſu frui poſſet.

In Palatio Iulij III. dieb⁹ aliquot moratur. Cæterum, abſoluto privatæ ſalutationis officio, Princeps Legatus ad Palatium Julij III. rediit, et, quoad publicæ legationis ſuæ munus, inter felicia ſua numeravit, quod, ob valetudinem Summi Pontificis, aliquot diebus ſolennem ſuum ingreſſum ſuſpendere copia fieret: tum ut longinqui itineris nauſeam, tali præſertim tempore anni, cum comitatu ſuo, optata quiete decoqueret: tum etiam ut melius omnia, ad ſolennitatem, & per

per otium quaſi, diſponeret, diem ſui ingreſſus, quem alias caſus pro placito daturus fuerat, electurus: denique ut Romani, quibus, quicquid poſt Criquium aliquis conaturus erat, vile videbatur, per occaſionem, inſtar præludii, nunc inuſitatarum veſtium novitate, nunc his, nunc raritatibus aliis, ad ſplendorem ſolennitatis totius, & curioſitatem, mutua invicem relatione, irritarentur. Factum eſt ut Princeps judicaverat, & ea curioſitas animos Romanorum invaſit, ut in ſpē futuri ſplendoris Roma erigeretur.

Itaque Princeps Legatus, videns omnia ad intentum ſuum adoleviſſe, & valetudinem Summi Pontificis in melius ire, tandem 27. Novemb: (qui erat dies Dominicus) tempore pomeridiano, ad mentem Summi Pontificis, ante Palatium Julij III. Suos in ordinem rite diſpoſuit. Quod ubi Romæ vulgatum, innumerabilis hominum multitudo portis ad ſpectandum effuſa eſt. Quinimo & omnis Romana nobilitas, Cardinales, externorum Principum Regumque Legati, honoris gratia, aulicos ſuos in occurſum miſere. Adeoque & Romanus Pontifex, ipſum aulæ ſuæ Præfectum, Fauſtopoli, Amaſienſem Archiepiſcopum, cum cubicularijs omnibus & famulatu, obviam ire juſſit. Et hac tam mirabili rerum fa- *Solenniter & inaudita magnificentia Romam ingreditur. 27. Novemb.*

cie,

cie, Princeps Offolinski, Vladislai IV. Poloniæ & Sueciæ Regis Legatus, porta Flaminia Romam ingreſſus eſt. Præcedebant duo nobiles Poloni in Attalicis veſtib⁹ coccinei coloris, quos ſequebantur currus viginti duo panno rubro pretioſiſſimo tecti, & Stemmatibus variis, Principis Legati comitatûs inſigniti, quos ſex muli ſingulos trahebant. Poſt currus decem Cameli, ex quibus dromedarii quinque, rubris tegumentis Attalicis, puriſſimo auro prætextis, amicti, à Perſis & Armenis ducebantur: his veſtis erat oblonga aureis filis intertexta, more Turcico caput tecti. Deinde tubicines Polonici quatuor, in viridi veſte Attalica, ad plantas pedum uſque pendula, cum ſtemmatibus pretioſiſſimis Principis Legati, equitabant: quos triginta quatuor Coſaci, in veſtibus Attalicis coccinei coloris, & pennati, more Polonico, ſequebantur: quorum terga equitatus Summi Pontificis, & Cardinalium muli claudebant.

Modico ab hiſce divortio, viginti Ephebi, pulcherrimis Attalicis veſtibus coloris cærulei, pharetris inſuper Orientaliũ more, aliiſq; ſumptuoſiſſimis militaribus armis decori, equitabant. Hos præceſſit Chociſzevvski, ætatis provectæ homo, clypeum & ſagittam, Perſarum more, manu tenens,

nens, alis etiam ad ephippium alligatis, in ſplendidiſſimo habitu; adeo auri, gemmarum, ac lapidum pretioſiſſimorum numero ac varietate lucens, ut ſpectantium mirabili fulgore verberans oculos, in ſtuporem pariter animos una raperet. Ducti, poſt Ephebos hoſce, quinque equi Turcici generoſiſſimi, quorum ephippia & ornamenta omnia, auro puriſſimo, pretioſiſque lapidibus, ad invidiam uſque, reſplenduere. Primum ephippium ſolis adamantibus erat diſtinctum: Secundum eranis: pyropis tertium: quartum variis pretioſis lapidibus: quintum fere inæſtimabile ſolis adamantibus erat refertum. Præcipue vero periſtroma, quod ob multitudinem adamantum dignoſci non poterat. In fronte inſuper equi quoddam quaſi monile fuit, quod viginti millibus Scutatorum, Polonicalium vero florenorum octuaginta millibus fuit æſtimatum. Hi omnes equi, quod inauditum ab ullo ſeculo, ſoleis aureis calceati fuere, ad fragilitatem omnes diſpoſitæ: quarum duæ etiam per partes in vulgi manus venere. Equos autẽ hoſce Perſæ pariter & Armeni ducebant, eodem cum Camelorum ductoribus habitu ſuperbi. Poſt hos Principis Legati ſtabuli Præfectus, clavam argenteam manu premens, viginti ejuſdem Principis Legati cubi-

cularios,frameis aureis &aliis pretiosissimis armis spectabiles, duxit: inter quos Gembicki, & Lipski,nobilissimi adolescentes,eminuere: quos sedecim aulici Hispaniarum Regis Legati,nec non & Cardinalium Officiales, & variorum, Christianorum Principum,Legatorum familiares,sequebantur.

Modico iterum post hos intervallo, viginti principaliores aulici Principis Legati, inæstimabilis pretii vestibus decori, equitabant: quos Jacobus Zelinski, ejusdem Principis aulæ Præfectus, clavam argenteam manu gestans, præcessit; cujus latera nobiles duo claudebant. Inde Princeps D' Enrichemont, Criquii Galliarum Regis Legati cognatus, magno Gallicorum nobilium numero comitatus, sequebatur; cujus vestigia Cubicularii Summi Pontificis, pariter equites, premebant.

Et jam ad præcipuos Principis Legati comites ordo devenerat, quos Romani Equites bini & bini medios introducebant: ex hisce primus, post Cubicularios Summi Pontificis, Komorowski Cracoviensis Canonicus erat, quem tres germani fratres Narussewicz, magni Thesaurarii Lithuaniæ filii, sequebantur. Post hos autem, Wezick, Johannis Wezick Gnesnensis Archiepiscopi, Primatis

matis & Primi Principis Poloniæ Regni, ex fratre nepos, cum Christophoro Lanzcoronski, & Stanislao Minozki, S. R. Majestatis, Cubiculariis, equitabat; quorum vestigia Carolus Corniat. Principis Legati nepos, veste lapidibus & pellibus pretiosissimis superba, premebat. Inde Lipski Plocensis Canonicus, cum Roncallio Secretario Regio, Summæ doctrinæ & authoritatis Viro sequebatur. Post quos Dobieslaus Cieklinski Secretarius itidem Regius introducebatur: qui equo generosissimo Arabico vectus, stupenda quadam agilitate, catenam auream in frustula minuta dicerpsit; quæ ad equi peristroma pendens, anhelanti tandem & curiosæ plebi in spolium cessit. Hic veste insuper ad talos usque dimissa, & lapidibus multis pretiosis superba, intuentium oculos mira voluptate perfudit. Post hunc, Zebrzidowski natu minor, in splendidissimo habitu Gallico, Potocki Palatinides Braslaviensis, Palatinides itidem Smolenscensis, & duo Firlei Palatinides Sendomirienses sequebantur: Quorum vestigiis, Comes Theodorus Tarnowski, & Alexander Lubomirski Palatinides Russiæ, compositis in admirabilem magnificentiam vestibus ornati, insistebant. Novissime Nicolaus Ossolinski, Ossolinij Principis Patruelis, in longa

& viridi holoſerica veſte, Zebellinis pellibus pretioſis ſubducta, & exterius lapidibus pretioſis ornata, equitabat: cujus verticem, Palatinides Calliſſienſis Grudzinski, & Petrus Danięlowicz Præfectus Parcteinenſis, ornamentis omnibus fere inæſtimabilibus ſplendidi, & generoſiſſimis equis Turcicis vecti, claudebant.

Immediate Legatū ipſum, Gembicki Gneſnenſis Suffraganeus, hujus Legationis Secretarius, pręcedebat: Qui latus ejus ſiniſtrum prius ſtipaverat, ſed, ad portā del populo, Reverendiſſimo Domino Fauſtopoli, Amaſienſi Archiepiſcopo, loco ceſſerat. Ita Princeps Oſſolinski, Vladislai IV. Poloniæ & Sueciæ Regis Legatus, inter hunc & Cajetanum Patriarcham Alexandrinū (qui dexteram ejus occupavit) medius, claudentibus latus ejus utrūq; triginta ſtipatoribus, unius coloris veſtibus, & globis pennisq; argenteis, Polonorum more, ornatis, Urbem Romanam ingrediebatur. Veſtis illi inferior pretioſiſſima Phrygia erat, denſiſſimo plumata auro, quam viginti (ut ita dicam) fimbrię, Polonice vulgo Petlice, adamantinæ, & globi viginti ex meris adamantibus decorabant. Framea ex auro puriſſimo erat, eranis & margaritis pluribus variegata: quæ ſola quinq; millibus Scutatorum, hoc eſt Polonicalium florenorū viginti millibus, æſtimabatur.

batur. Veſtis ſuperior longiſſima pariter Phrygia; in qua viginti adamātiæ fimbriæ, ſeu Petlice Polonice, & globi ex ſingulis adamantibus totidem. Equo Turcico generoſiſſimo, ſoleis aureis calceato, vehebatur; cui ad caput pluma nigra ſolis adamantibus lucens. Criſtæ auriculares vero, ut & ephippium, ſtapedes, & periſtroma totum, gemmis variis, plurimis, & pretioſiſſimis diſtinguebantur. Hunc ornatum Princeps Legatus, propria corporis authoritate in immenſum auxit. Et cum Romani equum, paramenta, & ornatum corporis Oſſolinii Principis mirarentur, majorem tamen identidem, ex vultu ejus, voluptatem capiebant. Ibi frons læta, ridentes oculi, & facies integra ad temperatā hilaritatem compoſita. Deniq; cui deeſſe nihil eorū videbant, quę à ſcrupuloſis Politicis, ad Legatum optimum & abſolutiſſimum, requirebantur. Poſt Legatum Principem, Prælati, Equites, & nobiles plurimi, aut honoris gratia, aut benevolentiam aliquam Polonorum experti, ſequebantur. Noviſſime elegantiſſima Principis Legati rheda, Attalica viridi inducta, plurimo variegata auro, viſebatur. Hanc ſex equi generoſiſſimi Turcici trahebant; quibus aurigæ Attalicis togis viridibus, infra plantas pedum pendulis, inſidebant.

Hac inaudita ab ullo ſeculo pompa & magnificen-

ficentia, Princeps Legatus, Porta Flaminia Romam ingreſſus, ad Palatium ſuæ commorationi deſignatum, deducebatur: factis aliquot etiam, à deducentibus Romanis, per nobiliores Urbis regiones, de induſtria, gyris, quo curioſæ plebis oculi, inſolita novitate & ſplendore, diutius paſcerentur. Tantus autem erat ubique concurſus, ut aliquando etiam, præ multitudine hominum, vix progredi Legatus potuerit. Ipſum Palatium (quod erat ſub monte *della Trinita*) virgultis viridibus, & picturis artificioſiſſimis, Poloniæ Regis Vladislai IV. victorias, reſque geſtas repræſentantibus, erat decoratum. Quod cum Princeps Legatus ingrederetur, omnia in circuitu caſtri S. Angeli tormenta, in congratulationis & lætitiæ ſignum, detonuere. Triumphum non Legationem diceres. Quamvis nec male dictum judicem, ſi utrumq; diceremus. Quippe cum eodem tempore Poloniæ Rex Vladislaus, Schiſmaticos Moſcos, à Smolenſci mœniis, in unam ſtationem abactos, & obſeſſores obſidens, ad ſupplicem deditionem paulatim, fortitudine ſua ſollicitaret, quid aliud videri poterat, quam, per ſplendidiſſimam hanc Legationem, in Septentrione cum vinceret, Romæ triumphare! ſic eſt profecto. Nec aliter omnes poſtea, comperta victoria, acceperunt, quam uni Vladislao IV. Supe-

Superos induſiſſe, in tanto terrarum divortio, & vincere ſimul & triumphare.

Cæterum, ut ad Principem Legatum revertamur, hic apud Summum Pontificem Eminentiſſimo Cardinalium collegio ſeptum, magna præſentia ſui, nec magnifice minus quam Romam ingreſſus fuerat, hac Oratione commiſſum ſibi à Sereniſſimo Rege ſuo munus Legationis abſolvit.

Obedientiã Summo Pontifici, Vladislai Regis nomine præſtat 6. Dec.

Venit iterum Romam Vladislaus, Pater Beatiſſime, & qui nuper Barbaricis ornatus laureis, ad tuos pedes venerabundus jacuit, is hodierna die triplici cinctus diademate, ante hanc Apoſtolicam Sedem tuam, per me Oratorem ſuum, ſupplex procumbit. Vladislaus, inquam, Poloniæ, & Sveciæ Rex, ac Magnus Moſchorum Dux, qui antequam regnaret, Regum ac Regnorum Tyrannos debellavit; qui Romam triumphator ſine triumpho ingreſſus, pia vota, & Pontificiorum pedum oſcula triumphalibus prætulit; qui, cum videri noſcique maxime nollet, Urbis, & Orbis oculos in ſe convertit; qui nova Tyberim felicitate beavit, cum citra Rhenum fluere ſolitum, invicta dextera, ultra Tyram, ac Boriſthenem traxit; qui deniq; deſertori populo, Græcum Conſtantinianæ donationis diploma è ſuperba Gaza eripuit, tanquam pro Romano Pontifice pugnaſſet, cui Romam, hoſtium etiam ſpoliis, aſſeruit. De hoc tali, ac tanto Principe, tibi Pa-

 ter

ter Beatissime, non in cunis, sed in ipso gloriæ, ac rerum gestarum fastigio, non fama, sed aspectu, ac familiaritate noto, quid in hoc amplissimo Orbis Theatro afferam, haud reperio. Jam enim olim sapientissimo tuo judicio omnes ejus penetrasti ac percensuisti virtutes, easque, uti probè cognitas, quæ liberæ gentis Sceptra moderentur dignas judicasti, cum non ita pridem Vladislaum unum esse, qui Polonis imperare queat, solenni commendatione asseruisti. Huc ergo potius mea deflectat Oratio, ut quos, qualesque populos tibi, sanctæque Sedi tuæ, supplices Rex noster secum offerat, declarem: quod dum exequor, Pater Beatissime, Paterno affectu favebis Filij, Pontificatus tui natu minimi, gloriosis conatibus. Solenne enim Patrum est, eorum gestis potissimum recreari, quos recentiori, sive lucis, sive gloriæ, partu Orbi ediderint. Quidcumque ergo gentium Septentrio tegit, quam late à Carpathiis Montibus ad Caspium mare, à glaciali Oceano ad Pontum Euximum patet Europa, totum id, genu flectente Vladislao, ante thronum tuum prosternitur, Pater Beatissime. Omnes enim illæ gentes, aut liberis suffragiis eum sibi Regem dixerunt, aut hæreditario jure, licet refragæ, ad ejus spectant Majestatem, aut denique armis subactæ Dominum recognoscunt. Sed primum merito locum obtinet Polonia, quæ uti Principibus suis libere paret, ita Religionem & Sacra, nulla vi, nullo metu adacta colit.

Illa,

Illa, illa Sarmatia, Romanorum armis impervia, Romanæ Religioni mancipata: illa, tot olim superstitionum altrix, nunc unius Dei serva: illa libertatis custos acerrima, nullius jugum experta, Romanis Pontificibus, eorumque Sedi Apostolicæ obsequentissimâ. Polonia, inquam, quæ sola Monstra non parit. Nulla inde hæresis, nullum Schisma, & si qui vicinarum gentium peste afflati, acerrimo legum supplicio, & perpetuæ infamiæ nota, à reliquæ nobilitatis corpore rescinduntur. Si quis legem, Vladislao Jagellone Rege latam, totius nobilitatis, patrio more, consensu firmatam, legerit: fatebitur, nullius concilij anathema hæresim acrius perstrinxisse. Et quamvis iniquitati temporum, amorique consanguineo aliquid indulsisse videamur: non tamen legem abrogari, unquam passi sumus, nec patiemur: testaturi posteritati, nos legum, Patriæque salutem, unius Religionis integritate firmare. Hoc ipso lugubri nuper Reipubl. nostræ statu, cum Sigismundum Regem, vivam pietatis Religionisque imaginem, Cœlo receptam, terris ereptam planximus, vidisses, Pater Beatissime, illis ipsis centuriatis Comitiis, Senatum, Populumque Polonum, magis pro Religione adversus concives suos, dira hæresi corruptos, certantem, quam de communi Patriæ salute, aut de futuri Principis electione sollicitum. Æquavit fervor Procerum curam Antistitum; eorumque,

 & tui

& tui Apostolici Nuncij solennes excivit gratiarum actiones. Innatum scilicet genti Polonæ avitæ Religionis studium. Hinc illa erga Sacrorum Præsides observantia, quæ eis prima in Senatu subsellia detulit, & præcipuas Reipubl: partes curare jussit. Tacebo prodigam, ut ita dicam, in Templorum ædificia, ac ornamenta, liberalitatem: Omittam cultum Numinis, & Sacrorum ferventissimum: hæc enim omnia ita se habere Orbis consensus asserit. Animorum certe ejus gentis Magnitudinem, vel inde colligere licet, quod à tot seculis adversus feros, & immanes nominis Christiani hostes excubent; nec stationem deserant. Ottomanorum signa, quæ tot Acies, tot Urbes validas expugnarunt, tot montium claustra penetrarunt, fluminumque impetus superarunt, tot Christianorum copias fuderunt; nuda Polonorum pectora stiterunt, & ne patentes, ac pervios ingrediantur campos, hucusque prohibuerunt. Scythicam pernicitatem, ne universam quaquaversus pervagetur Europam, unica Reipubl: nostræ moratur Provincia. Moschos solo nomine Christianos, re & moribus quibusvis Barbaris execrabiliores, toties vicimus, fudimus, & demum nobilissimam ejus Regionis partem in Provinciam redegimus. Hæc omnia summa animi magnitudine, ac prorsus Romana, steterunt. Parentavimus siquidem antiquæ Urbi, Majorum nostrorum ferocia læsæ, cum in ejus mores, & instituta transivimus. Hinc libertatis studium; hinc æqui juris, ac legum amor; hinc masculæ frugalitatis exempla, nil in moribus, nil in habitu corporis molle, vel effœminatum, nil acu pictum. Juventus prætextam, non in Cytharædorum Gymnasiis, sed intra castra deponit. Equitibus rura paterna colere haud pudendum, ne Urbanis enervati delitiis, bello fiant ineptiores. Humiles domos plerumque habitant: sed excelsos animos fovent; non propugnaculorum, non Pontis sublicij, sed legum & innocentiæ præsidio tuti. Neque vero hanc magnanimitatem, ferociam quispiam dixerit. Cicurarunt Sarmaticam, si quæ fuit, feritatem, Religio, & Musæ Latinæ. Has ubi è septentrione devolutæ gentes latio moverunt (credo equidem) castra secutas, eique vitæ assuetas, Heliconi suo prope ultimum valedixisse. Gentem profecto nostram adeo sibi manciparunt, ut sine earum præsidio, & ornamento, militarem gloriam minus gloriosam æstimet. Et merito: earum enim beneficio libera Nobilium capita de se ipsis decernunt magno nobilitatis ornamento. Neq; à Scholarum cathedris interpretes petimus, latino freti eloquio, quod una cum moribus & institutis, in partem gloriæ nostræ lubentes assumpsimus. Talis itaque ac tanta Polonia, ad tuos pedes prima procumbit, Pater Beatissime: illud collum, nullius unquam jugum ferre solitum, illas manus liberas, illum animum

excelsum, & ad imperandum natum, Regis sui exemplo, Majorum instituto, tibi submittit. Tuis auspiciis se Vladislaum Regem dixisse, ac proinde eum tibi debere profitetur. Tu enim geniales ejus Divos, Primum, ac Fælicianum, Roma discessuro, in sacris cineribus tribuisti, non sine Pontificio omine, eum primum Regum nostrorum fore, qui sine æmulo: Fœlicissimum, qui conjunctissimis tam populosæ gentis animis, & suffragiis, Rex diceretur. Tuis ergo auspiciis, Pontificum Maxime, habet Vladislaum Polonia, Vladislaus Poloniam, Tu utrumque. Habebis, Deo favente, Vladislai invicta dextera tandem aliquando tibi, sanctæq; Sedi tuæ mansuefactos Scandicos rebelles leones. Habebis & desertores communis Pastoris, ad Tuum ovile propediem reduces. Exivit etenim, Pater Sancte, Filius hic tuus, non ætate, & meritis, aut Majestate, sed capessitæ Regiæ dignitatis tempore, minimus, ad venationem, ut te satiet, famemque tuam impleat, avidam gloriæ Summi Dei: inde longævi auspicaturus primordia Imperij, unde Cœli, & Ecclesiæ ruinas sperat reparandas. Erige hanc tuam dexteram, Pontifex Optime Maxime, qua, nescio quo turbine motum, ac pœne ruentem Orbem retines, summo hujus seculi bono dudum destinatus, & sancta benedictione prosequere tam chari pignoris pios conatus. Excitabuntur hoc præclaro exemplo reliqui Christianorum Principes,

pes, & postpositis perniciosis eorum nomini & gloriæ odijs, illuc arma convertent, quo nefarij Imperiorum prædonis libido, jam tandem vindicanda, vocat. Vladislaus certe Rex, uti nunc se, Regnaque, & arma sua sanctitati Tuæ tradit, obedientiam præstat, nec se ab hujus sanctæ Sedis auctoritate, & observantia, unquam discessurum profitetur: Ita Te Duce, Te auspice, paratus semper erit Christianorum Aquilas, notis sibi itineribus, non sequi, sed præire.

Ferunt à plurimis annis Legatorum neminem, ab Eminentissimo Cardinalium Cætu, ob singularem eloquentiam Principis, tanto cum gustu fuisse auditum. Quinimo & ipsum Summum Pontificem dixisse fama est, credere se Ciceronem pro rostris melius, & majori populi Romani cum voluptate, non perorasse. Ut ut sit, hoc certissimum est, & summopere à Romano Pontifice fuisse dilectum, & Filii Unici titulo decoratum. Itaq; diebus aliquot maximo in honore habitus, eadem pompa & magnificentia, Româ in Poloniam tandem regressus est. Hoc ei Famæ Genio tribuente, ut Romani ipsi faterentur, nec fuisse unquam, nec fore fortassis, parem gloria, ordine, & novitate rerum omnium, Legati alicujus ingressum. Adeoque & sibi persuadebant, non unius capitis, thesauri, & inventionis rem fuisse, sed ad rei summam Polo-

Legatus Roma discedit.

Legatio hæc in maximâ Poloniæ

Regis gentisque Polonæ laudem defiit.

Poloniam integram laboraſſe: cum tamen Princeps Legatus, privatis fere ſumptibus, hanc admirabilem ſtruxiſſe pompam dicatur. Quod facile ſibi perſuadebit, quiſquis ſplendidiſſima Polonorum Comitia viderit. In quibus, quotquot Senatores fere, tot pompa & magnificentia Reges Orbis obſtupeſcit. Deſiit ergo Legatio hæc, ſicut in æſtimationem Polonicæ gentis majorem, ita in laudem Vladislai Regis maximam: ut qui toties, quoties invicem, inauditam hanc à ſeculo ſolennitatem, Romani referent, toties, recrudeſcente memoria, in eorum animis triumphabit.

GE-



In Parte ii. ante Litteram G. Pag: 49.

GESTORVM.
GLORIOSISSIMI ac INVICTISSIMI
VLADISLAI IV.
POLONIÆ & SVECIÆ
REGIS,
PARTIS SECVNDÆ
LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.
ARGUMENTUM.

VLADISLAI IV. in Moſcos, Smolenſcum obſidentes, expeditio noviſſima ac feliciſſima.

SUMMARIUM.

Michael Fedrowickz Magnus Moſcoviæ Dux, incentore Michaele Boriſowicz Sehino, oblatam à Polonis pacem ſpernens, quatuordecim annorum inducias rumpit, & Sehinum, cum numeroſiſſimo exercitu, verſus Poloniam mittit. Sehinus aliqua Oppida minora expugnans Smolenſcum (cui præfuerat, cum à Sigismundo III. expugnaretur) obſidione cingit, & va-

rijs exoticis artibus expugnare nititur. Vladislaus Rex, statim post coronationem suam, tumultuarie collecto exercitu, ad urbem obsidione levandam, è Polonia movet. Castra ad Borysthenem ponit; quem transgressus, dum feliciter cum Moscis pugnat, per Wojewocium, commeatu, & Principis Casimiri legione, Urbem instruit,: Wojewocius autem, dum ad Regem redire parat, glande trajectus, magno cum dolore Regis, occumbit. Vladislaus ad priora castra revertitur, & mox, Borysthenem iterum transgressus, Mattissonij stationem, in Pokroviano monte, expugnare parat: Mosci aggeres aliquos Regios oppugnantes, cum damno rejiciuntur; & mox, mille sclopetariis à Radzivillio Duce trucidatis, Mattissonius noctu stationem & Pokrovianum montem deserit. Rex Urbem intrans, &, medietate copiarum accita, Dammiana castra frustra oppugnans, alteram medietatem exercitus accersit; & iterum stationem hostium oppugnaturus, Prozorovius, cum alijs, noctu castra & stationes deserit: idem, paulo post, cum suis, Lesleus facit. Rex Alaudarum montem occupat munitque, quem dum Mosci recuperare nituntur, acerrime dimicatur; tandem tamen hostes retropelluntur. Rex hostem ab omni parte mira industria & dexteritate claudens, Tartarorum legatis (postquam æmulationes suorum prudentissime destruxisset, & felicissimos aliquot successus

cessus habuisset) audientiam præbet, & muneribus donatos dimittit. Kazanovius in Moscoviam penitiorem movet: Mosci autem, dum, Gallo transfuga Ductore, castra Regia oppugnant, non sine providentia & favore Dei, repelluntur; Galli transfugæ molitiones vero, ipsumq; Gallũ, insigni stratagemate, Comes Jacobus Weyherus subvertit. Kazanovius, cæso hoste, prædaque gravis, ad Regem revertitur: Mosci autem deditionem offerentes, & à conditionibus præscriptis resilientes, tandem, armis Regijs pressi, subscribunt ijs, & juramento confirmant. Castrorum deditio; & Sehinus cum toto exercitu suo, ter curvato dorso, Vladislaum Regem veneratur. Rex bene meritis præmia distribuit, in penitiorem Moscoviam movet, Bialam obsidet, & varijs copijs Moscoviam vastat. Moscovitæ pacem petunt, quam Rex, extortis hosti aliquot provincijs, ipsis indulget, & magna cum gloria in Poloniam revertitur.

UT fortuna Vladislao Regi Sceptrum, Coronam, Gladiumque dedit; ita statim quoque ut iis, ad Reipublicæ conservationem, uteretur voluit: ut & beneficium non frustra concesisse videretur, & simul non esse mollem delicatamq; rem regnare demonstraret. Redibant ergo quæ Gustavus Adolphus per Russelium suum insinua-

verat, & Moscovitica, & Tartarica, & Turcica, & Suecica, per circuitum arma: quibus quomodo suffecerit omnib9, & erectus sub quolibet pondere generose steterit, percurrendo singula videamus.

Quid Moscum ad rumpendas inducias moverit.

Et primum quidem bellum Moscoviticum erat, quod ante años aliquot vario marte gestum, quatuordecim annorum induciæ discreverant; ita tamen, ut penes Poloniam Smolenscia & Czernichovia Provinciæ, tunc subactæ, manerent: penes Vladislaum Principem, nunc Poloniæ Sueciæque Regem, & electio rata, & jus integrum, & incorruptus Magni Moscoviæ Ducis titulus perseveraret. Male hoc habebat Michaëlem Fedrowicz à factiosorum globo, & levibus ad imutanda consilia Moscis, insigni præjudicio Vladislai, in Magnum Moscoviæ Ducem sublevatum. Videbat quippe penes se potentiam quotidie, stipulatis induciis, se magis magisque quidem exerentem, penes alium autem legitimum jus, titulum, & partem Imperii perseverare; adeo ut scenicus magis Dux, & anima destitutum cadaver, quam Cæsar Moscoviæ videretur. Insuper tot victoriis, tanta fortitudine, tanta virtute & fortuna celebrem Vladislaum, obliquo animo, livido oculo, & paventi corde intuebatur: & æmulum, immo Dominum suum, ut jure tot annis fuerat, reipsa aliquando futurum

rum timebat. Itaque, ab ipso potentiæ suæ crepusculo, bellum iterum & arma præparabat: & hoc quotidie magis, cum induciarum beneficio, pacatę Provinciæ, omnes nuper exhaustæ, & Polonicis armis vastatæ, ad se redirent, & Michaelis iram & intentionem non vanam facerent. Ardentem præterea bella virum, ambitiosus jugiter Sehinus inflammabat, & æstuantem per se animum ad furias promovebat. Quare & hujus suggestione, non quod in Moscovia tantum, sed quod alibi quoque roboris erat, colligebatur, adeo ut delectibus Germania, Gallia, Anglia, Belgium, Suecia, Dania, commoverentur, & omnes illæ famosæ fortitudinis nationes, convocarentur. Et jam horum, præter Moscovitas, triginta millia in armis erant: non spiculis, non telis, aut inanibus Orientalium terriculamentis, sed nitrato pulvere, glandibus ignitis, majoribus minoribusque tubis, &, quod maximum erat, animâ militiæ, Occidentalium disciplina instructi. Addebat reliquo armorum apparatui, horrendum illud, ad neces generis humani, compendium, machinarum inauditæ magnitudinis numerus. Sic ut diceres Europam universam his terroribus, non Sarmatiam unam peti.

Moscorum apparatus.

Et Polona Respublica quidem à bello aliena erat: tum propter incommoda quæ eo Tempore

Poloni ulteriores in-

eam

ducias aut pacem offerunt, Mosci autem respuunt.

eam premebant: tum quia induciæ cum Suecis initæ paulatim ad finem currebant: Demum etiam quia de Bello Turcico rumor increbrescebat. Itaque, oportuno tempore Ferdinando II. Imperatore, Athanasium Georgicæum legatum in Moscoviam mittente, per eundem simul, à prorogandis inducijs, aut ineunda pace perpetua, se non alienam ostendit. Mosci autem externis viribus, numeroso exercitu, vario bellico apparatu, spe & fiducia sui, feroces, facilitatem Polonicam ut metum accipientes, æqua omnia temerarie & præsumptuose respuebant; ad nihil jam amplius quam belli occasionem intenti.

Ante finem induciarū arma Poloniæ inferunt.

Cum ergo Sigismundus III. gloriosæ memoriæ, Sarmatiæ Rex, è terrenis ad cælestia Regna migrasset, ad inferenda nefaria arma se composuerunt. Quippe tunc necessario capite viduata Polonia erat, &, secundum morem libertatemque Regni, Comitia prius indicenda, exspectanda, ad septimanas sex ad minimum duratura, in longum tempus distractura Provincias apparebat, & ante menses aliquot effluxuros, quam Rex novus eligeretur & coronaretur. Quarum rerum non ignari Moscovitæ, rupta lege gentium, non exspectatis induciarum terminis, securiùs acies promovebant; sperantes interea temporis vellicare Sarma-

Sarmatiam dum variis occuparetur. Erat exercitus Imperator Michael Borisowicz Sehinus, qui, præter Moscovitarum septuaginta, Occidentalium triginta millia, Astrachanensium, Casanensium, Czeremissorum, inhabitantium Cingulum terræ, adorantium Auream Anum, populorum quædam millia secum trahebat; ut non tantum armis, sed incognitarum quoque gentium nomine & terrore pugnaret. Et jam, victis viarum difficultatibus, infesta Sarmatiæ arma Barbarus inferebat: & quid ni audacter cum nemo resisteret? quid ni feliciter cum nemo propugnaret? Cesserunt ergo quasi impetu uno vicina omnia, & arces passim & oppida obvia, non secus ac incendio quodam belli correpta, humiliata, depopulata, passim jugum accipiebant. Cessuram hoc impetu suo Poloniam Barbarus porro præsumebat, cum in limitibus oppida minora cessissent. Adeoque non postremum versus munimentum Regni, Smolenscum ipsum (cujus Præfectus fuerat cum á Sigismundo III. expugnaretur, captus etiam libereq;, præstito prius juramento se nunquam in Poloniam arma resumpturum, dimissus) perjurus tumidusque gradiebatur: nec secus quā minatus fuerat, Anno 1632. 14. Nov. centum septua-

Smolenscum obsident.

ANNO 1632. 14. Nov.

ſeptuaginta millium exercitu, obſidione clauſit.

Eſt autem Smolenſcum (ut ſupra fuſius parte 1. lib. 1. cap. 2. vidimus) antiqua Ruſſiæ Urbs: quæ à Baſilio, Johannis Baſilidis Patre, fruſtra obſidione tentata, per Michaelem Glinſcium Sarmatam expugnata, centum prope annos à Moſcovitis poſſeſſa, à Sigismundo III. duorum annorum obſidione fatigata, ac demum armata manu recuperata, jam iterum â Sehino exercitu Moſcovitico circumvallata, in idem prope Sarmatis & Moſcovitis evaſerat, quod Cicilia olim Carthaginienſibus & Romanis, quod noſtra ætate Babilonia Turcis & Perſis.

Quod illud Smolenſcum.

Cæterum Sehinus non copijs tantum ſuis, ſed exterorum etiam ingeniis ferox, Italico Belgicoque more, munimenta moliebatur; prorſus ut ante Smolenſcum in Oriente, Bredanæ cujusdam obſidionis lineamenta formarētur. Propugnacula ibi, aggeres, ſuggeſtus, valla, cuniculi, ſtationes, in legiones ſingulas, cohortes ſingulas, diſtinctus exercitus. Et, quod mirere, una Sehini ſtatio vallo foſſaque egregie munita, ſeptuaginta Moſcovitarum, Moſcoviticorum Tartarorum ſtatio altera duodecim millia continebat.

Artificioſa ejus obſidio

Et jam Smolenſcum menſibus aliquot obſidione clauſum, numeroſis exercitibus circumſeſſum,

ſeſſum, cuniculis propemodum evertebatur. Quorum unus tamen Anno 1633. 17. Iulij, tam opportuna clade turrim & mœnia retro rapuit, ut ipſo cuniculi Architecto, cum proximioribus mille peditibus, inter alios ad aſſiliendum diſpoſitis, in exitium lacerarentur, ipſique lateres quadrigentis paſſibus, in hoſtilia caſtra projicerentur; quin imo Lesleus, poſt accepta damna, irruptionem adhuc præſumens, tribus millibus amiſſis, in ſtationem ſeſe & tutiora reciperet. Tum Sokolinſcius præfectus urbis, novum de integro vallum, terra ſeſpitibusque firmum, foſſa munitum, immanibus murorum vulneribus objecit; &, per Wojewocium ſubpræfectum, fortiſſimum virum, eruptionibus variis, ita hoſtes fatigavit, ut alia etiam munimenta, neceſſitate compulſi, ſibi molirentur. Ad extremum tamen Smolenſciani (qui jam, cum præſidiariis ſuis, duo millia quadringentos non excedebant) aut fame, aut ferro, ceſſuri videbantur, niſi in auxilium tandem Vladislaus aliunde moviſſet,

Premunt Urbem & mœnia cum ſuo damno humiliant. Anno 1633. 17. Julij.

Hunc Sereniſſimum Regē, quo minus Barbarorum præſumptionem caſtigaret ſtatim, coronationis ſuæ neceſſitas hucuſque retardaverat. Simulac vero coronatus fuit, non tanquam aſſecutus

Vladiſlaus Rex colligit exercitum.

cutus intentum, ad segnem aut inertem quietem se composuit: non somno aut caris turbæ voluptatibus, quicquid in illo erat, indolis vivæ, demersit: sed tanquam præteritarum expeditionū, victoriarum, triumphorum, justo præmio ad majora animatus, ab ipsis coronationis suæ festivitatibus, statim ad bella animum transtulit. Verum enimvero non una difficultas erat, quæ Regem premeret, immo quæ retardare multa conantem potuisset, nisi in Vladislaum incidissent. Aberat nervus belli ærarij publici subsidium. Miles collectus nullus erat, nec sine pecunia colligi poterat. Quartani (hoc est, ordinarij milites, qui à quarta Capitaneatuum proventus parte sustentantur) ob non soluta stipendia integra murmuraturi videbantur. Et alia plura, quæ, Monetæ Divæ gratia non affulgente, in quolibet Regno sueta sunt oriri. Hæc tamen omnia, licet dificillima alias, sola Vladislai persona, solus respectus ejus rupit. Quippe cum ille (non parcens interim quoque thesauro suo, à Parentibus Serenissimis sibi relicto) assuetum servire sibi militem, non semel victorem secum, & quosdam diversarum gentium spoliis divites convocaret: & illi vicissim munificentiam, fortitudinem, & felicitatem Regis sui considerarent, tanquam ab illo omnia sibi pro-

promittentes, variis ex locis conveniebant. Præsertim cum promissa ejus nunquam inania experti fuissent, & procul Tyrannide aut Barbara quadam sævitia, ob modestiam & Imperij moderationem, nunquam in pravum sese & injusta bella flectentem, affectu omnes & amore prosequerentur: sic ut recte Seneca mihi dixisse videatur. *Libr. 1. de Clem.* *Placido tranquilloque Regi fida sunt auxilia, quibus ad communem salutem utatur, gloriosusque miles, (publicæ enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, ut Parentis custos.*

Cæterum ut & copias, quæ omnibus angulis Regni in bellum properabant, ad celeritatem magis accenderet, & vicinior hosti, illum, vel solius nominis sui terrore, concuteret, in Lithuaniam aulico solo comitatu profectus est. Non fefellit Regem consilii singularis effectus: utrumque enim contigit. Siquidem propinquiore Rege, tanquam fulmine cominus oculos perstringente, perculsi, multum de pristino vigore Mosci remittentes, cuniculos quosdam, velut alibi & à tergo operam ad resistendum Regi collocaturi, imperfectos relinquebant: & milites, qui omni Polonia colligebantur, alacritate Regis sui animosiores, celerius conveniebant; adeo ut ingenti terrarum spatio, brevi tempore, millia convenirent. Quæ ubi

Rex in Lithvaniam movet, & ad Borysthenem castra ponit. Anno 1633. 1. Sept.

ubi Regi se conjunxerunt, non procul stationibus hostium, ad Borysthenem, in loco Hluszyka dicto, castra locavit: quo, ad facilius transmittendum militem, duobus pontibus subjugato, munitionibus variis sua castra firmavit. Tum vero & Christophorus Radzivillius, Dux Birsæ & Dubinki, Palatinus Vilnensis, & Supremus Lithuanici exercitus Generalis (qui ad Krasnam aliquot, ante Regis adventum, mensibus consederat, &, per Abrahamovicium Tribunum semel tribus millibus hostium trucidatis, non una clade Moscos affecerat) cum quinque millibus ad Vladislaum properavit, & Regis copias numerosiores reddidit.

Ejus fiducia in parvis copiis. Veruntamen si tumultuarium illum exercitum, & numerum copiarum consideremus, mirabimur certe ingentem Regis animum, qui hac tam parva manu, tantam hostium multitudinem munitionibus tormentisque firmam, non dico vincere, sed aggredi quoque præsumpserit. Et profecto temeritatem dicerem, nisi & Regis prudentiam, virtutem, felicitatem, & non unam minoribus copiis, è numerissimo hoste, victoriam cogitarem. *Magni Imperatores semper paucis copiis dimicaverunt.* Commune hoc illi cum Imperatoribus maximis, qui rationibus & consilio ducti, cum numerosioribus copiis possent, paucis pugnare maluerunt. Sic Alexander Magnus, cum, preter Ma-

cedo

cedonas suos, cunctæ Græciæ & universo Illyrico innumerabilem delectum posset indicere, nunquam maiores quadraginta millibus copias duxit; inhabile regenti ratus, quicquid excederet, & turbam potius fore quam exercitum. Sic Pirrhus Epirotarum Rex, è Græcia in subsidium Tarentinorum navigans, exiguum militem, sed multam artem, virtutem, industriam, contra Romanos in Italicum littus exposuit. Sic Annibal, toto terrarum Orbe Romanis quærens hostem, non nisi sedecim millia ab Antiocho Magno, quibus alia via per Alpes, quam prius venerat, In Italiam, tot gentibus terrisque dominantem, rursus descenderet, petiit. Sic Iulius Cæsar adversus Pompejum, totius Orientis auxilio dimicantem, paucis, & ad Dyrrachium extenuatis quidem legionibus præliabatur. Sic Constantinus magnus, adversus Maxentium Tyrannum, centum octoginta octo millibus armatorum ferocientem, non nisi quarta exercitus sui parte pugnavit. Sic nuper Georgius Castriotus, vulgo Schander-Bechus, adversus immensas trecentorum aliquando millium Turcarum copias, non nisi decem selectorum millibus dimicare & vincere, quoque consueverat.

Demaratus autem Lacedæmonius, apud Senecam, Xerxi tot myriadibus Græciæ bellum infer- *Rationes quare.*

reme-

re meditanti, rationibus hisce dissuadet. *Verum est, quod dicitur, majorem belli apparatum esse, quam qui recipi ab his regionibus possit, quas oppugnare constituis. Sed hæc res contra nos est. Ob hoc ipsum te Græcia vincet, quia non capit. Uti te toto non potes. Præterea, quę una rebus salus est, occurrere ad primos rerum impetus, & inclinatis opem ferre non poteris, nec fulcire ac firmare labantia. Multo ante vinceris, quam victum esse te sentias*, Quis eventus? Post paucula iterum Senecam audiamus. *Acciderunt quæ Demaratus prædixerat. Divina atq; humana impellentem, & mutantem quicquid obstiterat, trecenti stare jusserunt: stratusq; per totam Græciam Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret.* Itaque & Demarati rationes, & tot Heroum exempla Vladislaus secutus, non viginti armatorum millibus, centum septuaginta Moscorum & exterorum millia aggredi non dubitavit. Et eo successu, qualem nec Alexander vnquam, nec Schander-Bechus, aut quisquam prænominatorum Heroum habuit. Quippe illi vicere quidem, sed hostem reliquere: hic vicit ut hostilem exercitum nullum relinqueret. Cæterum ordinem rei videamus.

Libro. 6. de ben.

Rex Vladislaus miro Stratagemate

Postquam Vladislaus Rex, tantilla suorum manu fretus, in primis, ad Borysthenem, castris, vicini hostis munimenta, locorum situm, liberatio-

nis

nis modum, & hisce similia, accurato oculo perlustrasset, antequam aliquid aggrederetur, statum Urbis, & præsidiariorũ in ea, cognoscere constituebat. Sed maxima difficultas erat, cum omnes ad Smolenscum aditus hostilibus copiis insiderentur. Qua autem sylvæ & angusti calles spem faciebant, Mosci suorum millibus equitabant. Interim Vladislaus Rex, è re præsenti consilium capiens, inaudito hucusque Stratagemate, spem & fiduciam hostium in suam commoditatem vertit. Cum enim videret undique sylvas, militem strenuum & audacem, veste viridi, & viridibus virgultis ita circumquaque vestiri fecit, ut hominis persona prorsus tecta, arborē merè & virgulta mentiretur. Huic literas ad Sokolinscium & Wojewocium præfectos Urbis credidit, ad quas responsum si referret, mercedem non exiguam pollicebatur. Miles, Monetæ Divæ gratiis allectus, per nota nemora callesque, periculo se commisit. Et ubi adventantes aut in propinquo Moscos animadvertit, fixo vestigio hærens, prorsus arborem & virgulta referebat. Adeo etiam ut Mosci ab utroq; latere transeuntes deciperentur. Quibus jam procul agentibus, ubi se sibi & audaciæ suæ redditum vidit, cautè rursus progrediebatur. Et tandem ea ratione, inadvertentibus Moscovitis, non semel in Vrbē, & ab Vrbe regressus

statum Vrbis cognoscit.

gressus, statum ejusdem, & necessariarum rerum in ea penuriam, Vladislao Regi aperuit.

Deliberatio qua ratione Vrbi succurrendum.

Ubi ergo Rex Smolenscianos, annona, milite, pulvere tormentario, & pecunia indigere didicit, qua via potissimum de his omnibus provideri, & Urbs ipsa obsidione levari posset, cum suis in consilium ivit. Erat autem scissio inter Duces. Alii enim censebant ad Prozarovij stationem, & Malacovianam portam, fortunam tentandam, &, data occasione, de necessariis Urbi providendum. Et hanc sententiam Iacobus Zadzick, tunc Magnus Cancellarius Regni, post Cracoviensis Episcopus; Alexander Gonzevius Palatinus Smoleścensis, alijq; plures tenebant: tum ob rationes varias, tum etiam quia via facilis, situs planus, eademq; Prozorovij Statio Castris Regijs vicinior erat. Sed in contrarium adferebatur, quod ibi vires hostium brevi tempore possent uniri, & res gerenda in facie Civitatis esset; cui facile, assultu irrito, spes in desperationem posset abire. Hinc alij Borysthenem transeundũ, & ex ea parte Urbi subveniendum suadebant, ubi Mattissonij statio, stationibus alijs, totoque Borysthene discreta, si expugnaretur, liberari Civitas, si distineretur, per Urbanum pontem, subveniri posset. Et in hac sententia ut pauciores erant, sic inter hos, & Radzivillius, & Ka-

& Kazanovius, Generales, &, quod maximum, ipse Rex.

Itaq; hujus sententia prævalente, & remisso in Urbem virgultis vestito milite, eodem tempore ut erumperent, quo Mattissonij stationem aggrederetur, signum ad arma & expeditionem tympanis & tuba datum. Antequam vero castris legiones educeret, prospectum hoc etiam singulari providentia Regis, ut militem de sarcinis suis sollicitum, hac cura liberaret: ne de alia quapiam re, quam pugna, victoria, & spoliis hostium cogitaret. Igitur eadem prima illa ad Borysthenem castra, pluribus munimentis claudens, in iis impedimenta omnia, currus, & quicquid vel anxium, vel tardum reddere exercitum poterat, reliquit; & quatuor cautissimorum millium præsidio munivit. Et prudentissime hoc providus Vladislaus. Quippe non semel animadversum est, sarcinas cladibus occasionem dedisse, & expeditissimos milites ad victoriam momentum attulisse; cum sarcinati sollicitudine sua divisi, latus ad cladem, propter impedimenta nudarent, & expediti, quasi levi cursu, ad victoriam & de victorum spolia properarent. Nota sunt illa Virgilij.

Providentia Regis.

Et me quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, nec adverso glomerati ex agmine Graij,

Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitiq; oneriq; timentem.

Versus Mattissonij stationem movet. Recte ergo militem, ad conceptam animo suo victoriam, expeditum Rex, ante ullam pugnam, reddidit. Tunc vero Borysthenem transgressū, versus Matthissonii stationem, ad prima munimenta hostium, solis armis & spe victoriæ gravem duxit.

Hæc describitur. Erat autem Mattissonij statio in Pokroviensi monte, inter duas profundas valles (quarum extremitates echinata repagula, seu implicatæ sudes, cōjungebant) probè munita: sic ut à fronte Borysthenem & Civitatem, à tergo præfata repagula, haberet; & à sinistro latere, viâ latâ, è Sehini; à dextris vero, è Prozarovij castris, vicinis duobus pontibus, quibus Borysthenem subjugârant, subsidiū sperare posset. Quæ omnia aut rumpenda, aut impedienda erant.

Oppugnationem parat. Ergo Rex, ad dextram quidem, ad vicinos Prozarovij pontes observandos, Martinum Kazanovium Palatinum Podoliensem, & Polonici exercitus Generalem, Adami Kazanovii Aulæ Regiæ Marschalci Patruum, quadraginta & amplius annis, per omnes gradus Martios, probatum militem Ducemque, cum Alexandro Gonzevio Palatino Smolēscensi, destinavit; qui & subsidium, non sine cru-

cruore partium, inhibuerunt. Ad lęvam vero, versus Sehini castra, viam latam, per Tribunum Rosam, succisis arboribus, obstruxit.

Sic abutroq; latere tutior Vladislaus, ad unū solummodo à fronte hostem, VII. ID. Septemb. hora tertia matutina, propius admovit. Tum vero nova & alia difficultas imminentem Barbaris Regem remorabatur. Quippe Septem Moscorum millia, stationibus suis egressa, post echinata illa repagula, quæ extremitates vallium conjungebant, eadem defensura, se objecerant. Non vellere ergo tantū & truncare sudes, sed pugnare etiā simul oportebat. Quod laboriosum & periculosum aliquanto tempore fuit; donec Iohannes Pleitnerus Architectus militaris, jussu Regio, sexcentis peditibus, & præfatas sudes, & quicquid erat obstaculi, solvit, vulsit, rupit, humiliavit. Tunc Rex quasi momento temporis, septem millibus dissipatis, armata manu, Mattissonii castra aggressus est. *Oppugnat 7. Sept.*

Interim præsidiarii quoque non feriabantur, sed, Iacobo Wojewocio, Subpræfecto Urbis, Duce, per Urbanum Pontem erumpentes, duos reductus, & in iis tormenta duo, quibus præfatum pontem laceraverant, trecentorum tamen suorum damno, expugnarunt. Quibus duabus ma- *VVojevvocius erumpit.*

 chi-

chinis in Urbem directis, Wojewocius ipse solus ad Regem venit, statum Urbis aperuit, certamq; viam, quâ, nemine advertente, venerat, demonstravit. Ergo Rex Principis Casimiri legionem peditum (cui Henricus Dönhoffius præerat) annona, pecunia, nitrato pulvere, aliisque rebus necessariis bene provisam, sequi jussit: quam & ille, non minus feliciter, eadem via, per Urbanũ Pontem, Smolenscium introduxit. Dum autem Generosus Heros, & optime de Rege & Republica Polona meritus, eodem modo, ad prosperum successum referendum Regi, redire properat, à latentibus aliquot alto gramine sclopetariis humero trajectus, corruit; eodemque vulnere, magno omnium, ipsiusque Regis, cum dolore, post dies aliquot devixit.

Casimiri Principis legionem in Urbem ducit.

Cadit.

Rex ab oppugnatione recedit

Rex interim in Mattissonianæ Stationis oppugnatione constantissimè perseverabat; ubi vero, vergente jam die, parum proficere se advertit, suorum aliquot, & Schmellingio Tribuno equitum amisso, in confinio lucis & tenebrarum, retrocessit; à binis Prozarovij Pontibus Kazanovium & Gonzevium revocavit, &, sequenti die, in priora Castra, ad Borysthenem se recepit.

In priora Castra recedit. 8. Sep.

Rationes quare

Cum enim omnia, etiam irritæ oppugnationis, pericula, difficultates, & labores, maturo judicio

cio ponderaret, & Urbi ipsi pro aliquanto tempore jam provisum esset, aliquot dierũ quietem necessariã judicavit: tum ut miles spiritũ nonnihil reciperet: tum ut majores copias, quæ in procinctu jam esse ferebantur, exspectaret: tum etiam, ut, qua ratione, sine multa sanguinis profusione, Vrbem penitus liberare posset, viam meditaretur. Et commune hoc illi cum religiosissimis Imperatoribus quibusq;: qui salutem suorum, singulari studio, cladibus etiam hostium præposuere. Sic (ut procul à Sanguine ipsius non abeam) Carolus V. invictissimus Imperator, cum in Africa clade non una afficere Mahometanos potuisset, maluit abstinere tamen, quo saluti suorum consuleret; cujus unius vitam mille sibi Mauris chariorem dixit. Quippe, ut Seneca, *Nullum Ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque est, quam illa corona, OB CIVES SERVATOS.* *Lib. 1. de Clem.* *Non hostilia arma detracta victis, non currus Barbarorum sangvine cruenti, non parta bello spolia. Hæc Divina potentia est, gregatim ac publice servare: multos autem occidere & indiscretos, incendij ac ruinæ potentia est.* Itaque Vladislaus Rex, ut ad propositum revertamur, cum ob has rationes necessariam, ut dixi, quietem judicaret, exercitum suũ universum, per pontes, trans Borysthenem, in castra

stra

ſtra priora reduxit. Hoſtes autem fugere eum arbitrabantur. Tam caute enim Wojewocius in Vrbem ſubſidium duxerat, ut multo tempore neſcius hoſtis, cum recedere Regem videret, re infecta, & quaſi deſperabundum, longius abire putaret.

Interim Vladislaus Rex, diebus aliquot quiete *Rex iterum movet 21. Sept.* transactis, cum viginti Coſacorum millia (quæ Rex, ad terrorem hoſtium, quadraginta ſpargi juſſit) ſe, 18. Sept. ei conjunxiſſent, & modum alium non inveniret, aggredi iterum ſtationes hoſtium armata manu decrevit; ut, quicquid inſtruxerat diuturni ſceleris longa molitio, felici tandem congreſſione conſumeret. Quamobrem univerſas copias, 21 Septemb. eodem, quo prius, itinere, per pontes, trans Boryſthenem, ad ejusdem Mattiſſonii ſtationem duxit. Tum vero Rex Radzivillium Ducem, cum Lithvanico exercitu, & aliquot Saporovienſium Coſacorum millibus, ad Prozarovii Pontes obſervandos miſit, ut idẽ ibi, quod Kazanovius antea, exequeretur, ibidemq; mandata Regis porro exſpectaret: qui imperata exequuturus, tria equitum millia, validas peditum legiones, & tormenta, in adventum ſuum ritè diſpoſita, offendit; adeoque, in ſeram uſq; noctem, ibi pugnatum.

Sequen-

Sequenti die, hora quarta matutina, Rex (cum *Triplici acie inſtructa hoſtes in Mattiſſonij ſtationem pellit 22. Sept.* & Radzivillius, eodem tempore, verſus pontes, in armis eſſet) propius in hoſtem movit. Sed eodem loci, quo ante ad echinata repagula, aliquot hoſtium millia rurſus in acie deprehendit, ad pertinacius etiam, quam ante, prælium animata. Itaque & ipſe triplici inſtructa acie (cuius frontem Alexander Gonzevius Palatinus Smolenſcenſis, mediam Martinus Kazanovius Campiductor, tergum Alexander Piaſzinſcius Caſtellanus Camenecenſis, ducebant) hoſtem aggreſſus eſt, tandemq; poſt acerrimam pugnam, retro in ſtationem egit.

Et jam Rex, majora volvens, in ipſa Mattiſſo- *Ejus induſtria & vigilantia.* niana caſtra, appropinquationibus agebat; ut autem ſecurius ageret, certos legionibus ſingulis detraxit, qui erumpentes è ſtationibus hoſtes velitationibus diſtinerent. Ne autem integro hoſtili exercitu, nullis adhuc munimentis tutus, obrueretur, aut etiam Mattiſſonio ſubveniretur, ab ullo tentoria figi, ſeverè prohibuit; adeoq; & inſtructa acie, ſub dio, tota nocte perſeveravit, & ipſe in rheda ſua nonnihil quievit. Procul certe à delicatis illis, diffluentium luxu, moribus; quos Anneus in illo notat, de quo dicit. *Aſpice illum, cui ſomnus laxæ domus ſilentio quæritur: cujus aures ne quis agitet* *Epiſt. 56.*

tet sonus, omnis servorũ turba conticuit, & suspensum, accedentium propius, vestigium ponitur. Huc nempe versatur atq; illuc, somnum inter ægritudines levẽ captans; quæ non audit, audisse se queritur. Procul, inquam, ab hujusmodi moribus, circumstrepentibus copiis suis & hostium, in medio tumultus, solo carpenti sui ventre clausus, se quieti potius, quam somno dedit: Mox enim soporem ejus, missus à Kazanovio miles, interpellavit.

Quippe hic, eadem nocte, turmas aliquot, ad explorandos hostium conatus, Sehini castra versus, miserat; per quas captivos nactus, ex iis, sexaginta armatorum millia, sine ullo Tympanorum, tubarumq; sono, summo cum silentio movere didicit. Quod cum Regi ab eo nunciaretur, ilico Rex, Radzivillium Ducem, relictis nonnihil Pontibus, appropinquare, & in Montes, inter Prozarovii & sua castra, medium succedere imperavit; ut & illi, si necessarium foret, resistere, & sibi, pari compendio, subvenire posset. Kazanovius autem, à sinistris, non procul Mattissonij castris, per Botleri militem, reductus & aggeres moliebatur; tum ut à latere se tutum redderet; tum etiam ut stationem hostium (quod & sequenti mane probe factum) tormentis bellicis laceraret. *Kazanovij aggeres & reductus.*

Hostes

Hostes interim paulatim appropinquabant; arma tamen & impetum, usq; post meridiem, dissimulantes. Tunc vero, circa tertiam horam, per notas sibi vias callesq;, nihil sentientibus Polonis, de repentè præfatos reductus & aggeres (quos Kazanovium ea nocte molitum diximus, ejusq; jussu, Botlerus & Wolfenius Tribuni, ille binis, hic una, legionibus insidebant) magno impetu aggrediebantur. Sed parum proderat quod summa vi, quod ex insperato venirent; immo etiam quod eodem tempore Mattissonius appropinquationibus Regijs & præsertim Achatii Creutzij Tribuni, immineret. Vtrobiq; enim, & ab omni parte, malè excipiebantur. Donec una, non virtus, non dextera, non fortitudo, Polonos, sed fortuna, familiari in bello casu, non nihil percelleret; dum, apud Botleri militem, tria nitrato pulvere plena vasa, nescio quo infortunio, ignem concipiunt, & uno quasi momento, circumstantes omnes, vel adurunt, disjiciunt, vel in aëra secum rapiunt. *Hos Mosci acriter, sed incassum oppugnant. 23. Sept.*

O quantus tunc tumultus, quæ turbatio, quis horror; cum Sarmatæ, & à fronte, & à lateribus, armis, & in ipsis stationibus suis, infortunio miserando & miserabili, ad metum, motum, desperationem, & fugam sollicitarentur! In vestigijs tamen suis, quod mirere, constantissime perseveraverunt; &

 fortunæ,

fortunæ, & hostium furori, qui infortunio ipsorũ creverat, pares fuerunt. Sed & Vladislaus Rex, qui erat ad minima quoq; suorum vigilans & curiosus, statim, post pulveris injuriam, Vice-Tribunum propriç legionis suæ Meydelium, cum prætoriana legione sua, in subsidium Botlero Wolsenioq; misit. Qui adventu & virtute sua, vel suo ipsius & Podewellij Tribuni vulnere, Polonorum animos confirmavit. Quis tunc furor, quis conatus, quæ utriusq; partis pertinacia fuerit, non facile dictu est. Ad extremum enim res eo devenit, ut, cum pulvis jam glandesq; deficerent, pedes pedibus conjungentes, sclopetis, bipennibus, hastis, gladijs, & quibusvis manualibus armis, pectora invicem, tempora, frontemq; pulsarent; &, æquantes cladem, in noctem usq; dimicaretur. Ut ergo tenebræ texere frontem, sexcentis ab utraque parte desideratis, quadringentis vulneratis, re infecta, ad sua Mosci retro abiêre. Magna, et in exemplum, ea die, misericordia Regis erga læsos ferro vel adustione milites, visa est; sic ut Chirurgis, sufficientibus, ad obliganda vulnera, linteis, destitutis, propria sudaria & indusiola sua præberi jusserit. Adeoque milites vel ipsis plagis suis ad præliandum porro animavit. Minus enim vulnera formidabant, quorum curam vel ipsum Principẽ habi-

habiturum sciebant. Hujus vero oppugnationis irritæ hic etiam effectus fuit, quod Mosci, sequenti die, hora quarta matutina, Divorum Petri & Pauli Ecclesiam, fortalitij in modum munitam, & Pokrovianum inter Montem & Borysthenem mediam deseruerint, & liberum in ipsam Urbem Polonis aditum aperuerint.

Et jam Rex, appropinquationibus magis sedulus, Mattissonianis castris imminebat, cum Sehinus iterum, 24. Sept., potissima exercitus sui mole, audere aliquid & movere cœpit. Præmiserat autem mille sclopetarios, cum sex equitum turmis, ut montem, per quem ducturus erat exercitum, occuparent, & usq; in adventum suum tuerentur. Erat tum temporis non procul aggeribus illis imminentibus Urbano Ponti (quos Wojewocium antea expugnasse diximus, & eadem die tres cohortes, è Principis Casimiri legione, ab Urbe reduces, insidebant) Dux Radzivillius: Qui, ubi præfatas illas hostium copias in monte reductũ (quem Sigismundus, Glor: Mem:, in expugnatione ejusdem Smolenscensis Urbis, jam pridem struxerat) reparare, & in vicinis Mattissonii castris, ob subsidium conspectum, arma pariter præparari vidit, ilico (quoniam aliæ ad manus non erant) ab excubiis, tres hastatorum, & unam desultoriorum

Sebinus iterum movens, mille amissis retrocedit. 24. Sept.

equitum(Tragonum vulgo)turmas, in adversum rapuit. Quas ut primum hostes adverterunt, statim sex illæ equitum turmæ, præfatos mille pedites, turpi fuga deseruerunt; qui &, unius quadrantis horæ spatio, internecione deleti sunt. Quantum vero hac expedita fortitudine Radzivillii Ducis peractum sit, statim patuit. Nam & Sehinus, à fugientibus illis equitibus(qui vel metu hostium, vel suorum, id crediderunt, aut mentiti sunt)ipsum Regem, instructa acie, exspectare, persuasus, trepidè se recepit: Et Mattissonius desperans, sequenti nocte, relictis tribus legionaribus tormentis, & pluribus sclopetorum funiculis, ceu pertinacius se defensurus, per valla dispositis & accensis, Pokroviensem montem, & sua castra, summo cum silentio reliquit. Qua autem via, quo, & quomodo evaserit, exercitu Regio undiq; clausus, postea, confecto bello, Gedani interrogatus, noluit dicere. Hoc certissimum est, nisi stratagemate accensorum funiculorum usus fuisset, & tenebræ fugam occuluissent, non unum è Moscis futurum fuisse, qui evasisset.

Mattissonius noctu castra sua deserit.

Rex in Urbe se confert. 25. Septembr.

Cæterum jam Victor Rex ab uno latere Smolenscum omnino liberaverat, adeo ut commeatus liberè inveheretur, & è contra ex Vrbe pro libitu eveheretur, quicquid necessariũ videbatur. Quin

Quin imo & ipse Rex, statim, sequenti luce, Radzivillio & Kazanovio belli Ducibus, & Tribunis aliquot, comitatus, in Urbem concessit: tum quo & confidentiam suis, & præsidiariis animum adderet: tum etiam quo hostes irritarentur, cum Urbem nunc obsidione liberatam, & præsentia Regia spirantem jam altius, cum dolore, cruciatu, desperatione, metu, & confusis affectibus intuerentur; pro qua tot labores, tot pericula, tot difficultates, incassum subiverant, & diutinos tot annorum apparatus, tot annorum molimina, & ineffabiles sumptus, in inane & vacuum abiisse conspicerent, &, quod maximum omnium est, spem ipsam felicioris alicujus successus, quod dicitur, in cinerem recidisse: tandem etiam (cum absolutam vellet, & sine ulla exceptione victoriam) ut inhærẽtes adhuc Urbis suæ cervicibus hostes Rex longius submoveret, & jam non clades, sed cladibus fœdifragium persequeretur, & mature rebelles, maturis quoq; flagellis castigaret. Ad hoc, eadem die (quo reliquas hostium stationes, ab ea parte Borysthenis, circa Urbem, melius observaret) Castellum & mœnia Smolensciana ascendit; suis tamẽ se tegere jussis, ne præsentiam ejus reverentia manifestaret.

Cum vero jam singula curioso oculo Rex perlustras-

Dammiana castra fortiter sed irritè oppugnat. 28. Sept.

lustrasset, mox die perendina, tam Lithvanici, quam Polonici exercitus medietatem, per Urbanum pontem, penes Smolensci muros, usque castellum, seu fortalitium Sigismundi (quod à Sig. III. glor. mem. juxta profundam vallem structū) movere & pernoctare jussit. Ipso autem Crepusculo matutino, hora tertia, Comiti Iacobo Weyhero (qui non nisi ante triduum, se Regi, cum sua legione conjunxerat) Tribuno Abrahamovicio, & quinq; Zaporoviensium Cosacorum millibus, relictis tamen in statione equis, pedites à fronte & à latere Dammiana castra: Jani Radzivillij legionem vero, succedentibus aliquot Lithvanicis equitum Turmis, ab eorundem castrorum tergo, S. Michaelis templum assilire jussit. Quod eâ omnes ferocia præstitere, ut ingens illud & latè diffusum Moscovitici exercitus corpus, velut ictu uno ad sensum perductum, totum comoveretur, & extra stationes suas, maxima sui parte, è Prozarovii & Caroli Huberti castris, in apertum exiret. Tum utrobique strenuè, sed paulo infelicius tamen à Polonis pugnatum. Primus enim (ut pro animositate sua, longius hostibus se suis ingesserat) Comes Weyherus damnum tulit; cum sclopetarij hostium, valle abditi, longioribus, ad Germanorum morem, tubis, in occupatos certoque hoste

hoste districtos, satis feliciter explosissent. Ille tamen, ut est probatissimus miles, & militaris scientiæ peritissimus, licet crure saucius, & multis è præcipuis amissis, prudenter cladem texit, periculo providè se exemit, & hosti vulnera sua reposuit. Proximus illi periculo Paulus Sapieha fuit, qui cum unica sua hastatorum turma, & à lateribus, & à fronte, & à tergo, Caroli Huberti legione integra clausus & omnino circumdatus, ab omni parte vellicabatur. Hostilis tamen industria, ferocia, furor, infra Herois istius virtutem, generositatem, & fortunam fuit. Salvus quippe, impulso hoste, cum suis evasit; tam longè quidem, inter extrema pericula, á turbatione propria alienus, ut neque militaris ordo (quem constantissime adhuc observabat) cum se reciperet, turbaretur. Signum tamen ipsius turmæ suæ militare, in hostium suorum manibus, ceu, ut dicimus, plumam liquit. Cosacorum Zaporoviensium eadē fortitudo & fortuna fuit; post crudelissimum enim certamen, à multitudine hostium rejiciebantur: & licet Abrahamovicius, & junioris Radzivillij legio, ille tormentarium aggerem, hæc S. Michaelis Ecclesiam, expugnassent, tamen ultra nihil in hostem proficere potuerunt. Et sic, cum ab hora tertia matutina, usq; meridiem, esset

ſet pugnatum, pari propemodum gloria, parique clade, mille ducentis circiter utrinque ſauciis & deſideratis, tandem in vallem ſe Regij recepere.

Dum Rex iterum oppugnationem parat, Prozarovius, Dammius, & Carolus Hubertus ſtationes deſerunt. 29. Sept.

Sed ambigua fortuna irritatus Rex (ut eſt Generoſiſſimi animi, nunquam ſucceſſibus dubijs acquieſcentis, genius) arma iterum, pugnam iterum, impetum iterum meditabatur. Adeoq; adhuc eadem die, hora tertia pomeridiana, alteram, utriusq; exercitus, medietatem, cum reliquis Zaporovienſium Coſacorum copiis, per Vrbanum pontem, eadem via, juxta muros, in eandem vallem, ad eos qui pugnaverant, accerſivit; poſtridie iterum, majori animo, pugnaturus. Tum vero quid animi hoſtibus eſſet, apparuit; cum & Prozarovius Campiductor, & Carolus Hubertus, & Dammius, aliiq; Tribuni militares, relictis ſtationibus, pluvia nocte, ad Sehinum Generaliſſimum ſuum, trepida ſe fuga reciperent. Magnum me hercule, hoc pro Polonis erat; cum tria caſtra, & fortalitia quatuor muniſſima, victualibus & annona ſumme proviſa, armis inſuper, & bellica ſuppellectile copioſa, apprime inſtructa, ipſorum arbitrio relinquerentur. Præſertim cum duobus jam lateribus Smolenſcum, ſubmotis lõgius hoſtibus, ſui juris redderetur; & quæ ſine diſpendio humani ſanguinis expugnari non potuiſſent,

iſſent, ultro, magna indulgentia Superum, in manus traderentur. Tentoria tamen ſua Barbari, ſive quod labores ſuos & commoda hoſtibus inviderent, ſive ut immunditiem ſuam abſconderent, incenderunt. Et ſanctiſſimæ Trinitatis Templum, victualibus & annona grave, quatenus defendere ipſi non poterant, & tamen hoſtibus ſuis eriperetur, ſuppoſito rumpi pulvere & ardere fecerunt. Ut fugæ quoq; præcipitium & velocitatem colligas, non tantum ſibi temporis indulſerunt, aut etiam crediderunt, ut languidos, infirmos, ſaucios, immo & mortuos (cujus tamen rei Schiſmatici ſuperſtitioſiſſimi ſunt) ſine ullo ſolatio, & inhumatos relinquerent. Rex autem non ante fugiſſe cõperit, quam mane, jam copijs ad aſſiliendum diſpoſitis, viſo igne, per emiſſarios equites, duo legionaria tormenta, & grandius unum (quæ, cœlo pluvio, cœno hæſerant) è ſtationibus hoſtium adduci vidit.

Caroli Iacobi & Leslei Caſtra aggreſſurus, eos jam fugiſſe cõperit. 4. Octob.

Attamen, non hac ignominia hoſtis, & ſua felicitate contentus (ut Heroicæ indolis genius eſt, non acquieſcere, ſed ſperare proſpera ulteriora ſemper) quicquid circa Smolenſcum adhuc erat hoſtile, armis deſtruendũ duxit. Reſtabant autem, præter Sehinum, exercitatiſſimi exterarum gentium, ſub Carolo Iacobo, & Alexandro Leſleo, milites,

lites, non fortalitijs tantum & munimentis firmi, sed in ipsis, ad mœnia Smolensciana, fossis infesti. Quapropter & hos majori animo, pluribus artibus, & stratagematibus varijs, aggredi statuit. Sed quemadmodum membrum unum corporis, si patiatur, totum afficit, & ad viciniora contagio serpens, tandem compositum ipsum sollicitat, dissolvit, destruit; ita, timore correpti Barbari, pusilanimitatē suam copijs auxiliatricibus exteris, quadā quasi contagione insinuaverant; sic ut nunc, ad præsentiam imminentis bellicosissimi Regis, geminato ad fugam metu sollicitarentur. Itaque & hi, 4. Octob. hora tertia matutina, convasatis omnibus, & ingentibus, magno labore, machinis, ad Sehinum retroactis, summo cum silentio, ut later et propositum & ignominia Sarmatas, ad Sehinum retrocesserunt. Quod ut Rex per emissarios didicit, Radzivillio sibi & Kazanovio associatis, ad eorum castra perrexit. Sed fortalitia præsidio vacua ingressus, sparsa sine ordine arma; annonæ, commeatus, tormentorumq; nihil invenit. Cæterum ipsæ Belgico Italicoq; more munitiones in stuporem rapuere Polonos, & magis, quod expugnatu difficiles, ipsi, ne unum quidem exspectantes impetum, Occidentales, magna cum jactura nominis sui & famæ, deseruissent. Adeoq; Rex

Rex, minime præsumptuosus, ipsos pro se Superos pugnavisse, palam fatebatur, & cæcitatem hostibus extremam intulisse, ut ea, quæ sollicitè, opportunè, & ingeniosissimè, ante aliquot menses struxerant, jam, licet optimis provisi armis, nec alia quapiam difficultate, quam adventu & nomine suo pressi, quomodo & qua ratione defenderent, non viderent. Sed ut scelerati, si absit aliunde pœna, saltem conscientia sua; ita fœdifragi, rebelles, & perjuri, ut apparet, cæcitate crassa, panicoq; metu, continuo flagellantur. Rex ergo, ut Divinam opem agnovit, mox sequentem diem, pro tunc, gratiarum actione, festum fecit; & in gyrum, munitiones hostium, demoliri jussit.

Verum enimvero sic Smolenscum jam singulari benevolentia Dei, & invictissimi Vladislai Regis industria, virtute, fortitudine, & à Meridie, & ab Occidente, & à Septentrione, Regium erat: Ab Oriente tantum, contractis in unum copijs, Sehini Generalissimi statione, quodammodo Moscoviticum perseverabat. In hunc vero Rex, ceu jam victum semel, & circa Smolensci mœnia, in Mattissonio, Prozarovio, Lesleo, & Tribunis alijs debellatum, convertebatur. Quod quidem Sehinus nequaquam, præsertim imminente asperrima hyeme, futurum speraverat. Putabat enim Vladi-

Rex Alanarum montem occupat munitque. 16. Octobris.

Vladislaum Regem, Smolensci liberatione, partaq; tam illustri victoriarum gloria, contentum, aut in Urbe ipsa, aut alibi hyematurum, quo à tot laboribus vigilijsq; spiritum nonnihil reciperet, & fatigatum, nonuno castrensi incommodo, corpus, suavis dulcedine otij recrearet. Sed alia erat invictissimi adversus omnia infractiq; Regis mens, qui varijs rebus, & ipso victoriarum suarum ordine, ad Sehinum ducebatur; non quieturus, nisi & ipse, & omnes qui ad ipsum ignominiosa fuga sibi locum fecerant, in manus simul caderent, & devota exitio Sarmatiæ capita meritis affligerentur pænis. Prius tamen cum suis in consilium ivit. Erat enim iterum Schisma inter Duces, qua parte Borysthenis, non jam quidem Urbs obsidione levari, sed, illâ levatâ, rara metamorphosi, obsessores ipsi commodius obsiderentur. Pluribus ultra, citra Borysthenem Regi visum est. Præsertim quod Alaudarum mons, hic ab hostibus neglectus, eorum castris vicinior esset: quod non procul locus generalibus castris explicandis opportunus: quod deniq; hyberno gelu concreto fluvio, hâc, Biallâ, Moscis annona petenda. Itaque Rex rationes, Regem Duces paulatim sequebantur; Et, exercitu dierũ aliquot alimonia sibi providere jusso, ad XIV. Octob. indictũ iter. Saporo-

vientibus Cosacis autem, non procul Vrbe, cis Borysthenem etiam, eo loci ubi Radzivillius, sex turmis equitum in fugâ versis, sclopetarios illos mille deleverat, manere dictum; ut, si forte Mosci, absente Rege, in Urbem quippiam molirentur, impedirent; si ad prælium res deveniret à latere hostem aggrederentur; denique etiam, ut, proposito assecuto Rege, ad jussa mox parati essent. Sic ordinatis rebus, dicta die motæ copiæ; tertijsq; castris, non procul hoste, stetit exercitus. Erant autem Sehini castra in duobus montibus posita; quorum alterum vastiorem & clementius assurgentem ipse, respectu Regiorum castrorum, trans Borysthenem, cum præcipuis Moscorum & exterorum Ducibus, vastis tentotijs occupabat: minorem alterum sed præruptum, qui & Virgineus nominatur, ignobiliores Chiliarchæ, non procul à Regijs castris, cis Borysthenem, tribus millibus insidebant. Adeo autem sibi invicem opportuni erant, & Ponte navali, & munitionibꝰ quodammodo colligati, ut unus sine altero expugnari non posset, & duo velut unam stationem munitissimam, & inexpugnabilem facerent.

Itaque Vladislaus Rex non statim Sehinum aggressus est, sed, ut & hostem falleret, & destinata facilius exequeretur, rumorem, adhuc cum pri-

mo moveret, de industria spargi jussit, in penitiorem Moscoviam se exercitum ducere; & ipse interim, quasi continuæ pluviæ (quæ tum trium dierum & noctiū erant) vota retardarent, alijs copijs in conspectu hostium perseverabat; alijs (& præsertim Iani & Sigismundi Equitis Melitensis Ducum Radzivilliorum, Abrahamovicij & Creutzij Tribunorum, legionibus) Alaudarum montem occupabat: quibus in armis quotidie perseverantibus, per Architectum suum militarem, cæpit montem & aggere & munitione firmare; ita tum, ut dixi, Vladislao Regi, & adversante simul & famulante natura, ut, pari periculo & securitate, cōtinuis triū dierū pluvijs & obscuritate, nec munitiones commode perfici possent, & hostium oculis tamē, quid Sarmatæ molirentur, subduceretur.

Mosci horribili impetu sed frustraneo Alaudarum Montem recuperare nituntur. 20. Octob.

Serenitate Orbi reddita, cum & deceptos sese, & nova opera, in perniciem suam, ad perfectum paulatim surgere Mosci mirarentur, fremuere: & mox 20. Octobr. universo exercitu in ultionem exurgentes, uno destruere impetu & hora præsumunt, quod trium dierum industria laborq; struxerat. Et addidere præsumptioni vota, stratagemata, dolos; ut & sacramento, & fiducia, & religione, ad virtutem & victoriam acuerentur. Et profecto si Barbarorum, hoc in conatu, singula

consi-

consideraverimus, nihil Batbarum, nihil non astutum, & ad propositum ipsorum efficax inveniemus; nec dubium apparebit, quin exequi etiam statuta potuerint, nisi aut Vladislao Rege cum Polonis fuisset dimicatū, aut Deus fœdifragis victoriam & successum omnem prosperum è manibus eripuisset. Disposuerant enim denso ordine, in adversa sibi fluminis ripa, equitatum, & octo sclopetariorum millia, hoc equitatu tecta, ad insidias, non procul ab eo, ubi dimicandum erat, loco, subducebant. Insuper triginta quatur tormenta legionaria, in ipsa statione Sehini, eo loci disposuerant, unde in Sarmatas, corpore toto, ubi dimicandum erat, obnoxios, suis sclopetariis interim loco humiliore tutis, ejacularentur. Naves præterea frequentes, junctas, & capacitate commodas, quibus & multi, & secure, in alteram ripam arma impetumq; transferrent, præparaverant. Ita quasi momento temporis Borysthene superato, vino, ut appellant, adusto, seu cremato, subebrij, quatuor illas, in Alaudarū monte, legiones & à fronte, & à tergo, & à lateribꝰ, aggrediuntur. Nunquā antea Sarmatæ sic in hac expeditione perculsi. Ut enim præcogitati mali mollis ictꝰ venit, & tela prævisa minus feriunt; ita repentinus hic impetus, & hactenus inexperta ferocia,

quasi

quasi geminato malo terruit. Itaque parum abfuit, quin, Rege, tum temporis, centenis aliquot passibus absente, & munimentis & monte pellerentur; & post tot, incorrupta felicitate, victorias, ascendens in altum Polonici nominis gloria destrueretur. Unus, sicut alias sæpe, virtute sua, Vladislaus restituit rem. Hic enim eminus conatu hostium & periculo animadverso, sine mora suos in aciem digessit. Cornu dextrum cum Lithvanico exercitu, Radzivillio Duci (ut legionibus in Alaudarum monte, usq; novissimum militem, subveniret) commendavit; sinistro, ut cornu dextrum hostium aggrederetur, Kazanoviū præfecit; postremum agmen sibi Rex, ut, in eventum, præfatis omnibus, & maxime laborantibus, subsidio esset, sibi sumpsit. Sic ordinatis copijs singuli imperata fecere. Et primus Radzivillius Dux, legionibus in Alaudarum monte, summo in periculo jam constitutis, opportunissimè subvenit, & sinistrum cornu hostium nonnihil impulit. Cum vero Rex quatuor illas, in montis vertice, legiones, earumque, ob multitudinem hostium, discrimen, & in longum forte non suffecturas, vereretur, adhuc cum Radzivillio Duce districto hoste, quatuor alias (unam Principis Casimiri, duas Botleri, & unam Wolsenij) legiones,

nes, præfatis subsidio misit. Quibus advenientibus nonnihil circumacta fortuna est, & Poloni, pulsos à monte Barbaros, ad Borysthenem usque fugaverunt. Sed parum actum illa virtute & felicitate. Quippe Mosci numerosioribus copijs succurrentes, non modo suorum stitere fugam, verum etiam, Sarmatis retroactis, longius à flumine submovebant; adeoq; & in ipsum montem revertebatur impetus. Sub hæc à sinistris, non minori animo, cornu dextrum hostium, Kazanovius aggrediebatur. Hunc autem ut opportunum Schismatici habuere, ita triginta quatuor illis tormentis legionaribus salutavere, ut multi Nobilium Polonorum (præsertim è tribus hastatorum turmis) equis delapsi, terram sanguine suo purpurarent. Cum adhuc magis approximaret, illa in insidijs octo sclopetariorum millia, candentium globorum grandine turbavere; sic ut extenuatæ legiones equitum jam non pro solita animositate pugnarent, & ipsi auxilio, qui in auxilium venerant, egere viderentur. Ergo Rex, suorum à sclopetarijs illis damnum fremens, omnem in eos furorem vertit, & ulcisci meditabatur. Quod factum dubio procul fuisset, si per planitiem, quæ facilis apparebat, accessus patuisset. Siquidem Comes Iacobus Weyherus, cui Rex hoc negotium

dederat, & alias multum tribuebat, ipsis vix sentientibus, stationi ipsorum appropinquaverat. Et cum irrumpere jam cædemque meditaretur, humus minus solida, cœnosa, fallax, & palustris, impedimento, & hostibus saluti fuit; adeo ut momento temporis spes omnis in periculum & difficultatem abiret. Ad extremum tamen in tantum providentia & fortitudine sua profecit, ut eo loci tutè minus sclopetarij perseverare, quin in partem etiam stationem illam deserere cogerentur. Interim ad Alaudarum montem, de possessione ejus, variè dimicabatur. Ibi enim Moscis numero, virtute Polonis, prævalentibus, mira vicissitudine rerum, nunc ad Borysthenem illi, nunc in verticem hi rejiciebantur. Sic ut diceres ex composito ludum esse, aut aspicientem omnia dubitare fortunam cui tandem parti accederet. Novissime autem, non uno genere mortium invicem sævientes, duobus millibus hinc inde desideratis, obscura nox & tenebræ diviserunt; ita tamen, ut Polonicæ legiones, sex aut septem diversis vicibus in hostem ductæ, in possessione montis, constantissime perseverarent, & Mosci, infecta re, in sua castra redirent; similiores eatenus victis, cum initio pugnæ vicisse viderentur.

Verum-

Verumenimvero Vladislaus Rex, nihil ambiguum nisi adversum interpretatus, sequentis diei manè, aciem iterum instruxit; ratus hostem, vario præcedentis diei successu, ad audendum toties irritatum, fortunam denuo tentaturum. Nec in vanum conjecerat. Jam enim & ipsi, ad assultum præparati, in arma convenerant, & ingenti vociferatione pugnam præcipiebant. Sed resolutione Regis, & promptitudine ad pręlium invitantis cōspecta, animum pariter, & vocem, & arma deposuerunt. Rex, cum nihil eos movere videret, & audaciam hostium infra suam virtutem conspexit, arma ponere aliquam copiarum partem imperavit, & ad securitatem majorem montis, fortalitia tria, unum in ipso vertice ubi pugnatum erat, & ad dextram duo alia propius hostem (unde in hostilia castra ignita mittere jacula pro arbitrio posset) fieri mandavit; quo & desperationem illi etiam aggrediendi injiceret. Cum vero jam optime, duarum dierum spatio, adversus quemlibet insultum, munita in monte fortalitia sua videret, ad sinistram, non procul ab eo, 22. Octob., Generalia sua castra posuit, & 23., Borysthenem, supra stationem Schini, ponte subjugavit; cujus extremitatem, trans Borysthenem, Elias Artischevius vix in militia approbatus, & legione sua & muni-

Rex aciem instruit, sed Mosci detrectant Certamen 21. Octob.

 tione

tione firmavit. Vigesima quarta vero Cosacos Zaporovienses, juxta Urbem nunc porro inutiles, movere pariter imperavit: qui adhuc eadem nocte, per Urbanum pontem, & ipsam Urbem, Sehini castra à tergo prætergressi, non procul ab Artischevij statione, in præcipua ad Orientem, (cum esset Sehino ad Occidentem Urbs) Moscoviam versus, via, sua castra firmius solito, 25 muniverunt. Post hos non magno intervallo, ad eandem viam, jussu Regio, Palatinides Danielovicius, eadem die stationem cæpit munivitque. Insequenti vero, quæ erat 26, è Regione Danielovicianæ stationis, ubi caput alterius viæ, è statione Sehini, in Regiam viam concurrebat, fortalitium fieri fecit, quod duarum cohortium, è legione Plateri, præsidio munivit. Adeoq; Rex suis necessariam semel, tot laboribus vigilijsque defunctis, quietem indulsit. *Quippe danda est remissio animis: meliores acrioresq; resurgent. Ut fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhaurièt illos nunquam intermissa fœcunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit. Vires recipient paulum resoluti & remissi. Nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quædam & languor.*

Seneca de Tranquill.

Erat ergo miles ordinatione Regia porro otiosus, Solus Rex otium sibi non indulgebat: sed munimenta quotidie lustrans, alia super alia, ad securitatem suorum, hostiumq; damna, ingeniosè excogitabat, & paulatim, sua ædificans, hostilia destruens, à longe tanta dexteritate hostem cingebat, ut, quod faciebat, facere non videretur.

Hostem ab omni parte claudit, & obsidet.

Sed & Sehinus minime otiosus, opera operibus opponebat; sed inutilia pleraq; cum Regis propositum ignoraret. Ita fortalitium ingens ligneum 28. ejusdem Mensis (sed sequenti die per Radzivillium Ducem, centenis aliquot amissis, impeditus) 30. iterum, tantum ne lignatio sibi impediretur, opportuno loco, ad Meridiem, viam versus, qua Regi tota hyeme commeatus erat Smolensco petendus, fieri fecit. Quod si tum aliud simul ad ipsam viam molitus fuisset, hac parte penu claudere Vladislao Regi potuisse videbatur. Sed ilico Rex, eâdem 30. ejusdem Mensis, è diametro aliud, fortalitio illi, ad ipsam viam opposuit; & eatenus hosti, quæ potuisset in posterum cogitare destruxit, & securitatem sibi suisq; porro fecit. Sic ingenio & molitionibus varijs, sumptuosis, vastis, Rex atque Sehinus, indies æmulabantur; prorsus ut diceres ad *Dyrrachium* Cæsarem iterum Pompejumq; tumultuari. Et jam nonnisi una Sehino (cum esset illi, ut dixi, ad Occidentem Civitas, ad Meridiem fortalitium Regium

gium juxta viam, ad Orientem Regia & Zaporovienſium Coſakorum caſtra) cis Boryſthenem, ad Septentrionem, non procul ab Alaudarum monte, Moſcoviam & Biallam verſus, via patebat. Sed & in hanc Vladislaus Rex (præſertim, cum & hac ſubſidium & effugium Sehinum concepiſſe, captivi faterentur) oculos intentionemque conjecerat. Et in ipſa Regia via quidem, 4. Nov. fortalitium ingens, vaſtum, munitumq; excitavit. Reliqua viarum calliumq;, qui aut equitari aut ambulari etiam poſſe videbantur, ſuccisſis millibus arborum, ita ſepſit, obſtruxit, munivit, ut vix expedito homini, ne dicam exercitui gravi & armato, etiamſi liberè permitteretur, exitus patuiſſet. Cum vero Moſci, trans Boryſthenem, Urbem inter & fortalitium illud, quod verſus Meridiem ad viam, pro commeatus ſecuritate, ſupra ſtructum meminimus, onuſtos currus aliquot Regios ſpoliaſſent, ſtatim Rex 5. Nov. eodem loco, ad eandem viam, & illius viæ, per quam Moſci venerant, caput, fortalitium quinquangulare fieri fecit; totamq; marginem viæ, qua commeatus vehebatur, verſus hoſtem, ſimiliter ſuccisſis arboribus ita ſepſit & munivit, ut & ab illa parte, non dico evadere, ſed invadere currum etiam impoſſibile eſſet. Et ſic non aliter, tantilli temporis

poris ſpatio, Vladislaus Rex, in Oriente Moſcos obſedit, quam Julius Cæſar olim in Occidente ad Alexiam Gallos. Inſuper illum, inter munimenta ſua, & planè obſeſſa jam hoſtium caſtra, gyrum, levioris armaturę turmis jugiter equitabat; adeo ut ne ſuis quidem caſtrorum portis hoſtes pedem efferre pateretur. Lignatum ibant, obruebantur: pabulatum, concidebantur: aquatum, ſclopetis eminus vulnerabantur. Et omnia paulatim Moſcis, quæ obſeſſis evenire ſolent, morbi, mortes, & atra fames, contingebant. Ita exercitus ille, centum paulo ante & ſeptuaginta millium, quotidie minuebatur; ſic ut ad extremum, cum deditionem faceret, non millia viginti exceſſerit.

Ejus virtutes miranda & labor indefeſſus.

Verumenimvero non poſſum hic ſatis Regium illum Vladislai animum admirari, qui nullo unquam periculo & difficultate, nullis incomodis Vigilijsq; fractus, toties Regium ſuum novercanti fortunæ ſanguinē redere, non dubitavit; & indefeſſo labore caſtrenſibus munijs ſe immiſceret, & illam, eo loci, hyberno tempore, aëris inclementiam, ut ſaliva ore projecta, antequam terram attingat, congeletur, & lachrymæ oculis expreſſę mox in ipſis genis, frigore nimio in glaciem varientur, non abhorreret. Sed, credo, magnanimus Heros, ut antea periculoſiſſimis & glorioſiſſimis

sissimis expeditionibus dignissimum se Regno o-stenderat; ita nunc in castrensi pulvere non esse delicatam rem, regnare, demonstrare voluit. Tum etiam ut se ipsum in exemplum alijs daret; & in ipso videre liceret, quantum Custodem publicæ salutis, pro salute publica, tolerare oporteat. Quippe cujus vigilia omnium domos, cujus labor omnium otium, cujus industria delitias omnium, cujus occupatio deniq; vacationem omnium, defendere & tueri debeat, deceatque. Itaq; comes tantarum virtutum Fama (cujus magnam quoq; rationem eos habere oportet, qui, qualemcunq; meruerint, magnam habituri sunt) non Sarmatiæ conclusa terminis, perambulabat Orbem, & Regias Vladislai virtutes, in Oriente & Occidente celebrabat. Quare & nominis, & rerum gestarũ magnitudine, truculentissimi mortalium Scythæ (seu Tartari) movebantur. A quorum Chamo legatio amplissima, sub hoc tempus, in castra venit: quæ festo tormentorum boatu excepta, gratiam alloquendi Regem præstolabatur.

Magna prudentia æmulationem suorum destruit.

Tam felicem vero rerum omnium successum, parum aberat quin Magnatum quorundam inter se æmulatio mala corrupisset. Quod factum indubiè fuisset, nisi adulta Regis prudentia, ut Phœbus nubes solet, æmulationis fumum discussisset.

Hoc

Hoc detestabile in ipsis castris malum tum maxime vires sumpsit, cum aforis hostis amplius non timeretur. Est enim hoc non nisi felicitatis vitium; quod exordium quidem infelix in ipsis belli tumultibus successibusq; sumit, sed non, nisi posito timore hostium, sese exerit, & prodit in apertũ. Periculo enim foris imminente, in fœdus & auxilium commune constringimur: sed, metu posito, tanquam mutuo, quo ligabamur, vinculo soluti, in varias æmulasq; partes dissolvimur. Hinc deinde insolentiæ, detractiones, contumeliæ, insultationes, & parendi, uni præ altero, dura cervix; & certissimum tandem, nisi matura prudentia monstrum hoc pessimum in tempore destruatur, veloxq; exitium. Adeoque & prudentissimus Seneca, ex tali recalcitratione, Romano Imperio miserum vaticinabatur exitum. *Hic casus*, inquit, *Romanæ pacis exitium erit; hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tam diu ab isto periculo aberit, quam diu sciet ferre frænos: quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, hæc unitas, & hic maximi Imperij contextus, in partes multas dissiliet: idemq; huic Urbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit.* Verebatur idem Vladislaus de exercitu suo, præsertim vicino adhuc tam numeroso hoste, quod de Romanis Seneca vatici-

 naba-

nabatur. Quare in principio ſtatim, ut malum ſenſit, aggreſſus eſt, ut tanquam in ſcintilla adhuc una extingueret. Alios primæ admiſſionis amicos, benevolè blandisq; verbis ad cõcordiam hortabatur: quosdam durioris ingenij acriter reprehendebat: nonnullis ne loquebatur quidem, ratus, cum ignorare ſe, eſſe illos inter æmulos, ſimularet, ab hoc tempore ſaltem à vitio deſituros, ne ſe quoque inter eos fuiſſe Rex ſuſpicaretur. In totum vero ſummè cavebat, ne res, plena diſcriminis, in vulgus emanaret, partes faceret, & hoſtibus ſuis innoteſceret. Ut enim ſumma prudentia altiſſimi viri ſcelera quædam non vindicare maluerunt, quam vindicando oſtendere potuiſſe fieri; ita Vladislaus Rex, tum mutilando monſtrum & deſtruendo, tum etiam non una ratione tegendo, maluit prudentiſſime totum non videri, quam aliquo ſeveriori indicio prodere, vel ſemel natum fuiſſe.

Conatus ejus felices & fortuna. Inde prudentiſſimus Rex, non neſcius otij vitia negotio diſcuti, armiluſtria & exercitia militaria frequentiora inſtituit, & crebrius levioris armaturæ turmis, ad conferendas manus, hoſtes provocavit. Quod etſi ambiguè ſæpe, &, ut fit, ſubinde vices variante fortuna, ut plurimum tamen majore hoſtium cum detrimento fiebat; cum ab

uno Palatinide Danielovicio, ſummæ fortitudinis Adoleſcente (qui laudabilem hac in expeditione operam Reipub. præſtitit, & obſeſſorũ hoſtilium caſtrorum tempore, ſex millia facilè aut cæpit, aut trucidavit) plurimi quotidie captivi adducerentur. Quin & è fortalitijs & aggeribus omnib' Moſcovitica caſtra, adeoq; & tentorium Sehini ipſius, tormentis bellicis aſſiduè Rex lacerabat; ne tantum fame hoſtes & tædio, ſed damno quoque & metu, ad deſperationem paulatim & ignominioſam deditionem ſollicitaret. Ex hiſce vero quotidianum etiam aliud bonum emergebat, ut ſingulis fere momentis, certatim jam exteris omnibus & victoriam & Vladislaum reſpicientib', transfugæ Polonis accederent; & copiæ hoſtium debilitarentur. Quaſi vero tunc proſpera cumulare ſimul fortuna conaretur, ſic eodem fere tempore, ex Podolia, literis ad Regem ſcriptis, victoria à Koniecpolſcio Caſtellano Cracoviẽſi & Generali exercituum Duce, circa Valachiam, de Turcis obtenta, nunciabatur. Quur autem Oſmanidæ in Sarmatiam arma cæperint, & quomodo ad extremum, præſentia & virtute Vladislai Regis territi, ad Pacem Poloniæ glorioſiſſimam, & ignominioſam ipſis, compulſi fuerint, paulo inferius, immediate poſt bellum hoc Moſcoviticum, referemus.

Nuncautem Vladislaus Rex, ob nuntium, à Konecpolſcio bene geſtæ rei, tormenta in aggeribus omnia, tribus vicibus exonerarj juſſit. Quo tonitru & fragore territi, quid rerum ageretur neſcij, Moſcovitæ, tandem, intellecta cauſa, *& nos vobiscum*, ad Polonos vociferabantur, *ſi ſciviſſemus, ob victoriam de Mahometanis obtentam, Chriſtianitati congratulantes, triumphaſſemus.*

Tartarorum Legatos audit, & donatos dimittit. *30. Nov.* Interim Vladislaus Rex, jam tempus vacuum nactus, Tartarorum Legatos, hucusq; præſentiam ejus anhelantes, audire decrevit. Hi autem, coactis in encomia verbis, Regi fauſtam Sarmaticæ Coronæ adeptionem, & feliciſſimum fortunatiſſimumq; regimen porro, partim & congratulabantur, partim optabat. Tum fortitudinem ejus, virtutes, & frequentes victorias, proſperosq; ſucceſſus ejus, quibus ſe non paucis interfuiſſe ſibi congratulabantur, elevabant. Vovere autem, ut Cœlites conatus ejus adjuvare & proſperare deinceps, uſq; ſummam hoſtium ſuorum confuſionem, velint. Ad hoc, ne verba tantum adferre viderentur, nomine Chami ſui, centum millia expeditiſſimorum militum, adverſus Moſcum offerebant. Gratiſſima Vladislao Regi legatio, congratulatio, & auxiliorum oblatio fuit. Nunc autem, magna benevoli animi ſignificatione, gratias egit. Tum Principes legationis, & quemq; pro ſtatu & conditione ſua, Regia prorſus munificentia & liberalitate donatos, ad ſua dimiſit.

Erat autem tunc temporis communis fama, aliquum & numeroſum exercitum, ex Moſcovia, in ſubſidium Sehino venire. Et fidem paſſim rumor etiam apud Regem, inveniebat, cum nemo dubitaret Moſcoviam aliquid, pro tantorum Ducum Nobiliumq; totius Imperij fere, liberatione auſuram. *Kazanovium in peniriorem Moſcoviam mittit.* *2. Dec.* Hinc & Vladislaus Rex Martinum Kazanovium, exercitus Polonici Campiductorem, cum ſex equitum peditumq;, & Zaporovienſium Coſacorum decem millibus, in penitiorem Moſcoviam, tum ad terrorem Polonici nominis latius inferendum, tum etiam, ſi hoſtem alibi inveniret, & pugnæ copiam faceret, ad confligendum miſit. Poſt hunc, diebus aliquot præterlapſis, & Worońecium Notarium terreſtrem Smolenſcenſem, ad Moſcoviticam Nobilitatem, in ipſam uſq; ſtolitzam (hoc eſt Metropolim Moſcuam) titulo legationis expedivit: revera autem ut altius eorum conſilia penetraret, quid rei in Provincia ageretur, & quid ipſis animi eſſet, cautè adverteret, & ſpecularetur. Cujus utriusq; felicem reditum, paulo inferius aperiemus.

Non ceſſabat interim (quo uno duntaxat amplius

Moscoviticorum castrorum facies. plius sævire reliquum erat) Vladilaus Rex, tormẽtis bellicis hostilia castra lacerare. Quod Sehinus etsi non minus crebro, majoribus etiã basiliscis faceret, nec una vice Tabernaculum Regium (quod ex eminentibus tribus arboribus, quarum cacumina, ut advertit, Rex succidi jussit, explosor transfuga notaverat) laceraret; vix unus tamen & alter, ad ipsius, plurimi indies, ad castra Regia perfugiebant. Inter quos è præcipuis unus, morbos, proficientem quotidie famem, & miserabilem Moscviticorum castrorum faciem, summo omnium cum stupore, depinxit. Quin imo & Sehinum, per fidum hominem, mira arte, à Magno Moscoviæ Duce literas accepisse, quibus ignavia ipsi, & bellicæ rei inscitia, objecta fuerit; ut qui tot annorum apparatus, & exercitum numerosissimum, exercitatissimis Occidentalium nationum militibus, ingeniosissimis exoticarum artium inventionibus instructissimum, tam turpiter, à Poloniæ Rege, tumultuariè tantum collecto exercitu belligerante, cædi, fugari, destrui, & ad extremum, summa cum ignominia Moscovitici nominis, obsideri permiserit. Erigebantur hisce Polonorum animi, & cõtinuis, ut dixi, in Sehini castra explosionibus, postremam deditorum castrorum gloriam anhelabant.

Et iam

Et jam aliquamdiu Mosci, sive pavidi, sive desperantes, defensivè (ut dicitur) bellum gesserant, nec quicquam amplius offensive videbantur ausuri: cum unus ad Sehinũ transfuga, Moscis, Polonos invadendi, animum fecit. Hic natione Gallus erat, qui Centurio nuper stipendia sub Vladislao meruerat, nunc reformatus, ut vocant, apud Comitem Iacobum Weyherum morabatur, quo simul & pane ipsius & gratia frueretur; jam autem, proditionis ergo, ad hostes transierat. Hic itaque Polonicorum castrorum situm curiosè speculatus, viam, ut apparuit, facilem, ad ipsam Regiam usq; stationem, advertit, quam deinde facilè expugnari posse putavit, quod de ea minus timeretur. Hoc primum nationis suæ Tribuno Carolo Huberto Gallico Nobili, & per hunc Moscorum Ducibus insinuavit. Quid multis? Res periculum faciendi digna videbatur; quæ tamen, si succederet, mox omne dedecus in gloriam variaret. Itaq; Barbari, totis viribus pugnaturi, seni o noctis, in aciem congregantur. Nunquam ita Cœlites pro Vladislao Rege vigilasse visi. Hucusq; enim pro Fortuna Rex, jam sola pro Rege Fortuna pugnavisse videtur. Locus erat ad Borysthenem potandis equis Moscis opportunus; quem ipsi, ad equorum securitatem, quasi excubijs ordinarijs observa- *Mosci castra Regia oppugnant, hujus periculum, & illorum clades. An. 1634. 8. Ianuar.*

serva-

ſervabant. Hoc autem ex Vladislavianis copijs notaverat, fortis ille, & expeditione tota virtute celebris, Botlerus Tribunus; adeoq; & prædæ, & inferendi damni cupidus, permiſſu Regis, aſſumptis ducentis ſclopetarijs, & duabus legionibus ſuis, in eventum, armari juſſis, non procul à loco, in reductum Regium, juxta Boryſthenem, perrexit. Quid dicam? eadem illa nocte, crepuſculo matutino, & ad eandem illam Regiæ ſtationis partem, ubi binæ illæ Botleri legiones in eventum vigilabant, Moſci aciem promovebant: quæ niſi tacitum armorum fragorem, tot millium ſtrepitum, & appropinquantium Moſcorum murmur audientes, ſignum longioribus tubis dediſſent, & inde, furore ſummo irruentes, ſumma vi rejeciſſent, dubio procul Regia Caſtra perrupiſſent. Vladislaus Rex, qui Botlerum ad Boryſthenem prius tumultuari putaverat, ut Moſcos in generalia caſtra præſumentes intellexit, mox in arma coactis copijs, oratione commoda, &, ad præſentis rei faciem, maxime opportuna, non parum animos omnium, ad Rem bene gerendam, erigebat. *Omnium enim honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, quæ admonitione excitantur: non aliter quam ſcintilla, flatu levi adjuta, ignem ſuum explicat. Erigitur virtus cum tacta eſt & impulſa.* Quare, prævijs tor- Sen. Epiſt. 94.

tormentorum, quibus non leviter hoſtes percellebantur, tonitruis, ea Moſcos violentia rejiciebant, quaſi viribus plus quam humanis, dimicarent. Præſertim cum Regem ſuum cogitarent, quem unicum ut Patrem Patriæ & Servatorem ſuum diligebant: quem in hiſce caſtris præſentem, & præſentia exemploq; ſuo omnes animantem conſpiciebant; pro cujus ſalute amplius quam ſua pugnare decreverant. Nec abs re. *Suam* quippe milites *incolumitatem amant, cum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fronte procurrunt, & adverſa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur. Ille eſt enim vinculum per quod Reſpublica cohæret: ille Spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt; nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur.* Itaq; pro ſua ſalute pugnabant, cum pro Rege ſuo præliarentur. At hoſtes, licet prima vice cum damno repulſi, tamen non ideo ſtatim deſperabant. Sed renovantes impetum, quaſi geminato per primam repulſam furore, tranſcendere munimenta moliebantur. Itaque Rex Zaporovienſibus Coſacis armari juſſis, trans Boryſthenem, qua ſuppetiæ Moſcis ferebantur, à latere hoſtẽ aggredi imperavit. Quod illi ſtrenuè executi, & oportunos quoſq; primo impetu trucidan- Senec. lib. 1. de Cle.

cidantes, latè ſtragem dedere. Et jam Regij, caſtrorum portis erumpentes, crepantibus ab utraque parte (quæ facile ſeptingenties hoc conflictu exoneratæ) machinis, extra ſtationes, ex æquo cum hoſtibus ſuis dimicabant. Sic ad aliquot horas dubio marte præliatum. Ad extremum tamen hoſtes, cum pugnam à ſenio noctis uſque meridiem produxiſſent, varioq; ſucceſſu continuaſſent, nihil autem ſpei porro ſupereſſe viderent, male multati, ad ſtationes ſuas, proſequentibus eos à tergo crebris tormentorum ictibus Polonis, ſe recepere.

VVeyherus ſtratagemate machinationes Galli & Gallum ſubvertit.

Verum enimvero Comes Iacobus Weyherus, Centurioni Gallo (cujus machinationes in poſterum verebatur) perinde jam iratus ac antea gratioſus, qua via potiſſimum noceret, & exercitum Regium ſollicitudine porro abſolveret, meditabatur. Quod cum melius, quam ſupectum reddendo hoſti, poſſe facere non videretur, hoc inſigni ſtratagemate uſus eſt. Literas numeris Arithmeticis, ceu ſanctiores aliquas, ad eundem titulo direxit; quas è captivis uni (quos plurimos habebat) maxime oportuno tradens, *hæ*, inquit, *vitam tibi & libertatem denuo præſtabunt, ſi fidelis eris. Cave tantum ne cui alteri, niſi Centurioni illi Gallo, cum quo mihi ſecretius aliquid intercedit, tradideris. Si reſponſum attuleris, prȩter vitam & libertatem, præmia; ſin, quod abhorreo, & in manus veneris, ſæviora morte exſpectato.* Ita militem, quem, certis ex rationibus, minimè imperata facturum, confidebat, ad ſtationem hoſtium dimiſit. Prout ſperaverat Weyherus ſic evenit. Miles enim, cum vitam & libertatem jam in caſtris proprijs haberet, à Sehino potius quam Weyhero præmia exſpectare maluit. Quid fit? Viſis, prout apparebat, ſanctioribus illis litteris Sehinus, cum dicta militis, cum oppugnationem irritam, cum armatas in ſtatione Regia, quà oppugnari Gallus ſuaſerat, legiones deprehenſas, conſideraret, certo certius proditorem credidit. Mox ergo, quæſtioni gravius ſubjectus, cum nil fateretur, tortoris lacerationibus exſpiravit. Et ſic egregio prorſus ſtratagemate Weyherus, machinationes hominis, in exitium Sarmatarum plurimas, ſubvertit, & deinceps cura ſtationem Regiam abſolvit: & Gallus ipſe vitã, quam honeſtè apud Comitem Weyherum, amicum & faventem, ducere potuiſſet, apud hoſtem, præmia quæſiturus, cum ignominia & cruciatibus finivit.

Sehini inconſtantia.

Sehinus autem, poſt oppugnationem irritam, quia fames, morbi, miſeriæ, ſingulis quaſi momẽtis, in deterius proficiebant, ſeria, ſed ſera, ſuſcepti belli,

belli, pœnitentia ductus, desperare paulatim, & quotidie sibi alijsq; vilescere, mutari in horas, statuta rejicere, rejecta statuere, nihil certo, nihil semper velle cœpit; cum uno fere eodemq; tempore, subinde spe, timore, fortuna, dedecore, fiducia, & desperatione fluctuaret; immo consilis varijs, & affectibus tot contrarijs jactaretur. Irruptionem modo, arma & impetum, præparare, & facere ferro viam, velle videbatur; deditionem modo, & victoris arbitrium probare; mox utrumque, levitate pari, repudiare. Veruntamen, hanc continuam inter animi luctam, durissimum telum necessitas, humiliora quotidie magis magisque suadebat. Primo ergo Tubicinem, ceu in experimentum, pro captivorum, utriusq; partis, commutatione misit, quem ubi Rex, cum exprobratione, *mox universum ejus exercitum captivum fore*, facessere jussit, tandem ad viliora versus, deditionem obtulit, dummodo toleranda viris imperarentur. Rex, etsi perdere omnes potuisset, quos in manu habebat, tamen, qui est clementiæ genius, spe vitæ facta, conditiones, tempori & statui ejus convenientes, præscripsit; quæ, quoniam ignominiosæ nimis ipsi videbantur, tunc, & sæpius, rejectæ, & iterum admissæ, arma identidem & explosiones acrius irritabant.

Interea

Kazanovius & VVoronecius ad Regem revertuntur: mox Moscovitici legati.

Interea vero dum Sehinus supplicem inter & Imperatorem tumultuatur, Kazanovius & Woronecius ex Moscovia revertebantur. Et ille quidem, succursu hostium, millibus aliquot trucidatis, cæso, & longe lateque spoliata terra, captivos plurimos, prædamq; gravem: hic autem studium & benevolentiam, à Moscovitis, anhelantibus pacem, sibi exhibitam, non secus ac si Mercurius aliquis evangelia Moscis tulisset, adferebat. Certè adeo, belli tædio, æternæ pacis & concordiæ desiderio ferri, ut propediem legati ipsorum, qui ipsum non longo temporis & itineris intervallo secuti fuerint, adfuturi videantur. Hos Vladislaus Rex, cum paulo post advenissent, quatuor à castris suis milliaribus, audientiam præstolari jussit.

Sehinus deditionis leges stipulatur.

18 Febr.

Tum demum Sehinus gratiam Vladislai Regis multo ardentius anhelabat, eoq; tandem clementissimum Regem flexit, ut in Alaudarum monte, Commissarijs, ad deditionis leges formandas, designandis, conventum indulgeret; quin ut & armistitij gratia fieret, & damnosæ partibus explosiones, interea temporis, inhiberentur. Sic, à parte Regis, Nicolaus Korffius Castellanus Vendensis, Andreas Rey de Naglovice Capitaneus Libuscensis, Reinoldus Rose, Botlerus & Abrahamovicius, Tribuni: A Sehini vero, Alexander Lesleus Campidu-

piductor, Iacobus Caroli Tribunus, & alij, Moscoviticæ nationis, Tribuni tres, in Alaudarum monte, & tentorio Sigismundi Radzivillij Ducis Equitis Melitensis, diebus aliquot comparuere. Rex autem, circumstantias quoq; rerum omniũ non neglecturus, in eodem loco, aulæo tectus, cum Christophoro Radzivillio Lithvanico Generale, strato insidens, scrupulosius indies auscultavit. Quod ut Commissarij Poloni non ignorabant, pro gloria sui Regis zelosius, in Moscos durius, agentes, cum ijs, 18. Februarij ita novissime convenerunt. Imprimis Sacr. Reg. Majestatem, quamvis sufficientissimam causam, aut omnes trucidandi, aut militiæ Sacramento astringendi, haberet, pro clementia tamen sua singulari, liberum ad suos abitum, quatuor hisce conditionibus gratiosissime indulgere.

I. Ut juramento se obligarent, nullatenus, aut quacunq; etiam ratione, contra Regem Rempublicamque Polonam, quadrimestri spatio, à discessu suo ex castris, se militaturos.

II. Castra ita integra, cum tormentis omniq; apparatu bellico, quin immo & ipsis demortuorum armis, Bojariorum & Equestrium virorum phaleris, & pharetratorum insignibus Regi traderent, ut si quispiam vel minimum, ad castra spectans, subduxisse, aut corrupisse, inveniretur, reus omnium bonorum suorum haberetur: exceptis duodecim tamen tormentis legionaribus, quæ Rex Sehino avehenda permisit.

III. Profugi & Proditores omnes Vladislao Regi traderentur: peregrinæ vero nationis militibus, ut & Moscovitis ipsis, aut manere, aut servitio se Regio obligare, aut ad propria sua redire, liberum esset. Subditi autem Vladislai Regis, etiamsi Moscis militarent, cum Uxoribus, liberis, & bonis omnibus, in castris relinquerentur.

IV. Ut involutis vexillis, fomitibus sclopetorum extinctis, sine tympanorum tubarumq; sono, ad locum à Vladislao Rege præordinandum, exirent. Inde sua vexilla Signiferi ad pedes S. R. M. deponerent, tribusq; passibus & terna reverentia retrocedentes, tam diu morarentur, quoadusq; Dux Radzivillius Lithvaniæ Generalis, S. R. M. nomine, reassumere vexilla mandaret. Ipse Michael Borisowicz Sehinus autem Moscovitarum Generalissimus, cum Palatinis, Ducibus, Tribunis, Officialibus Supremis & Aulicis, cujuscunq; nationis essent, ex equis suis descendentes, ad Pedes S. R. M. vitamq; exorantes, sese prosternerent, quoadusq; à Radzivillio Duce surgere, & equos ascendere jussi, tympanorum tubarumq; clangore audito, cæptum prosequerentur iter. Nemini autẽ subditorum S. R. M. in via molestiam exhiberent, sed commeatum, æqua pecunia licitati, coëmerent. His

Mosci à conditionibus resiliunt.

His quidem conditionibus tunc convenerat; & hoc etiam, ut 20. ejusdem mensis, à Commissarijs juramento roborarentur: Sed, quæ est Barbarorum istorum levitas, à proposito iterum resiluere. Et eo quidem Titulo, quod Magni Ducis sui nomen & titulus in conditionib⁹ non legeretur: sine quibus pactis conventis stare difficulter possent. Hic quidem titulus erat, revera autem Sehinus, imminēte jam propi⁹ ignominia, pudore & pœnitentia ductus, facere ferro viā velle præsumpsit. Repugnanti autem & dissuadenti Moscoviticæ Nobilitati mollitiem objiciebat, ut quæ cedere fœmineum in morem proposuerit, cum vires adhuc, arma & manus haberet. Fortunam audaciæ, fortitudinis, & virtutis comitem esse: perrumpenda hostium castra: viam ferro faciendam: & virorum instar in Moscoviam retrocedendum. Insuper callidè, per subornatos profugos, spargi jusserat, exercitum Polonum non dena millia virorum excedere, & esse Radzivillium Ducem, Exercitus Lithuanici Generalem, ab auxiliatrice manu lethaliter vulneratum; Sicut plurimi etiam, mutata sententia, armata manu recedendum judicarent.

Armis Regijs pressi, 21. Febr.

Tentari patientia Regis videbatur: itaq; magna cum indignatione, sicut alias nunquam, è superioribus jugis, in hostium castra detonuit. Quin imo & Pala-

& Palatinidem Russiæ Danielovicium, Templum S. Spiritus, in cervicibus ipsis castrorum hostiliū, assilire jussit. Quod hic non minus strenuè quam erat imperatū, 23. Febr., senio noctis, exequutus est. Assiliit enim, pugnavit, expugnavit, omnibus, exceptis ijs quos velox fuga furori exemerat, trucidatis. Mosci castra ipsa sua Polonos aggressuros putabāt, &, dispositis in gyrum machinis, in vanū jaculabantur. Adeoq; pavidi in munitionibus jam suis timebant, qui paulo ante Polonorum aggredi velle præsumpserant. Ergo perrumpēdi cōsilium sedit, & exorta die, misso tubicine, misericordiam iterum quæsiere. Sed indignabundus Rex, in tubicinē ipsum ejaculari jussit, donec ad extremum, cum jam tertiū tubâ gratiam quæreret, à Magno Cancellario Regni Jacobo Zadzick exoratus, Tribunum Abrahamovicium, petentibus id Moscis, in Sehini castra, ad Lesleum & Jacobum Caroli mitteret, & per eundem tamen, nonnisi ad arbitrium suum deditionē indulgeret.

misericordiam iterū rogant.

Conditiones acceptant. 23. Febr.

Sic 23. Feb. iterum in Alaudarum monte, & in tentorio Radzivillij Ducis equitis Melitensis, Rege, consueto more, aulęis tecto & lectulo insidente, Commissarij convenerunt. Ibi, præter conditiones superius memoratas (à quibus Rex ne latum quidem unguem moveri voluit) multum

pro

pro equis, ad ſarcinas in Moſcoviam avehendas, ſupplicabant. Sed ne hoc quidem à Comiſſarijs Regijs impetrari potuit, &, poſt umbilicū noctis, aquieſcentibus jam Moſcis, ita cōventum, ut, exerente ſe luce (hoc eſt 24. Feb.) conditionibus, prout ſuperius memoratæ ſunt, à Sehino ſubſcriberetur, & à Comiſſarijs utriusq; partis juramento roborarentur; poſtridie vero 25. Feb. fortalitia duo, alterum cis Boryſthenem in Virgineo, alterum trans, in alio monte, quod viam verſus, unde Polonis commeatus petebatur, extructum diximus, Regi traderent.

Iis ſubſcribunt, & juramento roborantur 24. Feb. Omnia, præter Moſcorum morem, ſincera fide peracta ſunt. Ut primum enim illuxit, 24. Febr., per interpretem conditiones ad Sehinum miſſæ, poſt quatuor horarū trutinam & deliberationē, ab eo ſubſcriptæ, per eundem interpretem in Alaudarum montem relatæ ſunt. Tum, menſâ Eccleſiæ mappis ſtrata, & in illa Cruce argentea, præſente Ruthenico Sacerdote, poſitâ, Comiſſarij acceſſere. Quib⁹ à Radzivillio Duce Palatino Vilnenſi, ad juramentum fideliter & Chriſtianè preſtandum, monitis, primo Moſci, ipſorum more, percuſſa fronte, & crucem exoſculati, formula ipſis conſueta, juramentum explevere. Sequebantur Moſcos, peregrinarum nationum nomine, Ia-

ne, Jacob⁹ Caroli & Lesleus; qui, tradita à Nicolao Korffio Caſtellano Vendenſi juramenti formula, alijs cum cæremonijs juravere. Inde, Sarmatarum nomine, Charlinius aulicus Regius, & Tribunus Botlerus, acceſſerunt; qui juxta ritum Catholicū, flexis genibus, accepta juramenti formula à Marciano Trzyſna, tum Referendario, nunc Lithuaniæ Vice-Cancellario, juramentum præſtiterunt. Noviſſime diverſæ Religionis, erectis tantumodo digitis, juravere.

Fortalitia duo Regijs tradunt, & Sehinus juramentum præſtat. 25. Feb. Sequenti die, 25. Febr., qui erant in fortalitijs, cis & trans Boryſthenē, in Virgineo & alio monte, Moſci, relictis tormētis, & alijs, ut convenerat, omnib⁹, vexillis involutis, duabus ante meridiem horis, in Sehini caſtra conceſſerūt: quæ mox Janus Radzivillius, Ducis Generalis filius, terna exploſione, & Polonis aquilis vallo fixis, ſe præſidio Regio muniviſſe, demonſtravit. Poſt meridiē Commiſſarij Polonici, Regis aulicis, ſplendidiſſime veſtitis, comitati, in Moſcorum caſtra, ut à Sehino ipſo, Artemio Iſmahelis, Cneſio ſeu Principe Bialoſielſi, & præcipuis Moſcorum Ducibus, juramentum exigerent, ſe contulere. Quibus nonnullo tempore occupatis, Rex cum Radzivillio Duce (Alexandro Piaſzinſcio Caſtellano Camenecenſi, inſtructa interim acie cum plerisq; copiis per-

is perseverante) munimenta hostium lustravit. Ad quos, juramento jam deposito, Prozarovius & Artemius Ismahelis (Rege mox, instar equitis, ne nosceretur & audiret tamen, in primum ordinem concedente) inclinato vertice, cum globo equitum accessere; & Radzivillio Duce salutato, fœdifragium deprecabantur. *Quicquid enim fecissent, mandato Domini sui, Magni Moscoviæ Ducis, se fecisse: quod autem modo S. R. M. se devictis, triumpharet, Deo commendare.* Ad hæc Radzivillius Dux: *S. R. M. Regem & Dominum suum clementissimum, hisce viribus, fœdifragis suis hostibus obviare debuisse, & de victoria parta Deo gratias agere; monere autem sedulo & hortari, ut, cum Deo & S.R.M. obsequium jurassent, huc respicerent, & Regem, sub quo, procul tyrannide & assueta servitute, aurea libertate frui possent, Dominum suum agnoscerent.* Hoc & simili sermone, hora integra transacta, facta utrimque reverentia competenti, ab invicẽ discessere.

Casimirus Princeps Moscovitica castra lustrat, & Mosci pacem petunt 26. Febr.

Die postera, quæ erat 26. Feb. (Serenissimo Casimiro Principe, tribus Radzivillijs ducibus, Christophoro, Sigismundo, & Johanne, Comitato, in hostilia castra, advisenda omnia, & præsertim tormenta bellica, concedente) legati Moscoviti, quos superius paulo post Woronecium venisse diximꝰ, corã Jacobo Zadzick Cracoviẽsi Episcopo Magno Cancellario Regni, in præsentia plurjmũ Senatorum

rum

rum audientiam habuere. Quibus multum circa Magni Ducis sui titulos tumultuantibus, Magnus Cancellarius Regni abstinerent suasit. Nullum enim se, præter Vladislaum Regem, pro Magno Moscoviæ Duce agnoscere: si aliquid autem Boiariorum vel Moscoviç Senatorum nomine indicandum haberent, simpliciter, sine multis titulorum phaleris, exponerent. Nondum acquiescentibus Moscovitis, Dux Radzivillius Lithuanicus Generalis, admota dextera capulo, *de titulis,* inquit, *non verbis, sed ferro disputandum est.* Qua fiducia Generalis fracti Moscovitæ, Boiariorum seu Moscoviæ Senatorum nomine, pacem petivere. Quibus mox Dux Radzivillius, *si pacem,* inquit, *& Legatos nostros ante biennium audire voluissetis, non tantum sanguinis Christiani effusum fuisset.* Subjungunt, lachrymis oculos eorum occupantibus, Moscovitæ. *Puniat disperdatque infausti belli incentores Deus: apparet enim perspicue illi displicuisse, qui nos gemino malo, damno & ignominia castigavit.* Petebant porro Legati, ut locus prope Smolenscum, dies circa festum S. Johannis, pro tractanda pace, assignaretur: interim autem milites utriusque partis abducerentur, & arma suspenderentur. Magna cum indignatione Poloni Proceres hæc accepere, & responsum, non prope Smolenscum, si pacem vellent,

lent,

lent, sed Stolitzam sive Metropolim, ubi victoriosus Regis exercitus mox futur⁹ esset, tractari oportere. Nec esse eam intentionem Regis, durantibus tractatibus arma suspendere; proinde, si sibi consultum vellent, proximum tempus pro iis optimum fore. Tandem in hoc conventum est, ut 5. April. eo, ubi Vladislaus Rex in persona propria futurus esset, loco, tractatus inchoarentur.

Castrorũ deditio, & Moscorum ad pedes Regios prostratio. 1. Mart. Et jam illuxerat destinata gloriæ Regiæ, & ignominiæ Barbarorum prima Martii dies. Tum Sacra Regia Majestas, hora diei decima, Palatinis & nobilibus comitatus, Borysthenem transgressa, prope Zaporoviensium Cosacorum stationem, ad duodecim millia militum in aciem rite disposuit. Vehebatur ipsa equo Neapolitano, phaleris & peristromatib⁹ Regiis exornato. Nõ procul ab ipsa Serenissimus Princeps Casimirus, Magn⁹ Cancellarius Regni, Dux Radzivillius, Kazanovius aliiq; Senatores belliq; Duces. Exercitus Moscoviticus, ad tympanorum tubarumque in Regiis castris clangorem, stationibus castrisque suis mediocri ordine, sed vexillis complicatis, fine ullo tympanorum tubarumque sono, in apertum prodiit. Primus & ordine & dignitate Michaël Boriszowicz Sehinus Generalissimus, Prozarovio, Artemio Ismahelis, Cnesio seu Principe Bialosielsi, & novem Præ-

Prætorianorum militum cohortibus comitatus, ad Regem equitavit. Ubi propius & ad destinatum à Rege locum ventum est, equis suis omnes delapsi, nutum Serenissimi Regis exspectabant. Tum Vexilliferi, debita cum reverentia, vexilla sua ad pedes Regios posuere. Inde Sehinus, Prozarovius, Artemius Ismahelis, & Cnesius Bialosielsis accessere, & trina profunda capitis ad terram submissione reverentiam exhibuere. Quibus ergo rite peractis, vexilla deinde permissa, & posse progredi clementer indultum. Abeuntibus à Radzivillio Duce hæc alta voce acclamata. *Vos Domini Palatini agnoscite, non exiguam modo à Regia Majestate gratiam vobis exhiberi, cum sanguinem vestrum in manibus suis habeat. Adeoque tanquam benefactori vestro clementissimo, qui vitam denuo dederit, gratias agite; Deum Ter Optimum Maximum rogantes, ut diu feliciter regiminis clavum dirigere, ad plurium emolumentum & salutem, queat.* Ad hæc illi. *Reddant hoc Sacræ Regiæ Majestati Cœlites, quod nobiscum, ut Principem optimum & Christianum decet, misericordiam fecerit.* Et facta iterum capite, ad terram usque, reverentia, cæptum prosequebantur iter. Cum vero Sehinus equis, quibus duodecim campestria illa tormenta (quæ Rex illi clementer indulserat) in Moscoviam avehi pos-

 sent,

ſent, deſtitueretur, eadem Radzivillio Duci donavit.

Verumenimvero Barbarorum Ductori Sehino Carolus Hubertus Nobilis Gallus, & quindecim equitum Gallorum turmis Præfectus, ſuccedebat. Qui pari ratione, poſitis ad Sereniſſimi Poloniæ Regis pedes militaribus ſignis, profunda humilique reverentia, Majeſtatem & virtutem Regiam adoravit. Ad extremum tamen, ſingulari humanitate Regis, ad oſculum manuum Regiarum admiſſus, reſumptis vexillis, Sehinum ſecutus eſt.

Hunc cohors integra militum Græcorum Valachorumq; mixtim ſequebatur: ſed cum ne Regio quidem conſpectu digna judicaretur, ſine Cæremonia ulla expedita eſt. Quippe, ſicut

In tauros Lybici ruunt leones,
Nec ſunt papilionibus moleſti;

Ita generoſiſſimi quoque Regum animi, de viliſſimarum gentium ruinis, triumphi gloriam averſantur. Cum enim inglorium eas ducant vincere, pudet triumphare.

At jam ordo ad Fukſium Tribunum pervenerat, qui ſex peditum vexillis Præfectus, poſt ſigna militaria Regiis pedibus ſubſtrata, in debitæ ſubmiſſionis Symbolum, ter verticem flexit, & poſt reſti-

reſtituta iterum militaria ſigna, ad præcedentes abivit.

Inde Tribunus Tobias octo cohortium legione adfuit, & præſcriptam à victoribus, ad pedes Regios, cum ſuis, ſubmiſſionem explevit.

Poſt hunc Boiariorum, ſive nobilium Præcipuorũ Moſcoviæ ſeptem cohortes, eandẽ peracturæ Scenam, progrediebantur. Et hæ quidem Turmæ prius & in equis fuerant, ſed, hiſce ad ſarcinas hac occaſione trahendas ablegatis, pedites modo ad Poloniæ Reges pedes veniebant. Quem ubi percuſſa fronte genuque flexo veneratæ fuerunt, ſublevatis iterum vexillis, perrexere.

Has Dunenſium Moſcovitarum & eorundem Coſacorum quatuor turmæ ſequebantur: quæ ab equis in terram defluentes, poſtquam ſupplices eandem quam priores ſortem ſubiverant, eadem ſunt ratione dimiſſæ.

Deinde Nobilium Moſcovitarum, ſclopetis exercitatiſſimorum, ſelectæ ſex cohortes, totidem vexilla, Regis calcibus ſubjiciebant, & Sarmatiæ fortunam Regiamq; virtutem ſuſpirantes, neceſſariæ devotioni litaverunt.

Tandem famoſi iſti Tribuni & militares viri, Mattiſſonius, Dammius, Reſenerius, & Jacobus Carolus, ſinguli legionibus ſingulis octo co-

hor-

hortium Præfecti, adfuere. Qui ut se supplices, & in victorum, Regisque fortissimi de se triumphantis potestatem quoq; venisse intelligerent, depositis & ipsi, ante Vladislai Regis pedes, vexillis & militaribus signis, nihil aliud quam ille olim & nomine & furore terribilis Vercingentorix, fatebantur: qui, positis ante Julii Cæsaris pedes armis, *Habes*, inquit, *fortem virũ, Vir fortissime, vicisti.* Idem illi, inquã, & supplices & eadem ratione fassi & faciẽtes, solita clementia Regis ad suos dimissi.

Anglica quoq; natio se Moscoviticæ genti miscuerat; ita adgubernante Fortuna, ut ex singulis gentibus essent qui vincerentur, & Vladislai Regis virtute victi, fortitudine humiliati, & clementia servati, famam heroicarum ejus virtutum facinorumque latius spargerent, & ne ultima quidem Thule ignoraret. Quid ergo? Horum octo cohortium pariter legio una, Sandersonii Tribuni sui à Lesleo interfecti corpus in medio ferens, positis vexillis, trina reverentia Majestatem Regiam venerata, eandem cum Moscovitis, ut fortunam, sic legem subiit.

Hanc Tribunus Kittius Scotus sequebatur, quem Rex (quoniam ante in Polonia stipendia sub ipso meruerat) adhuc agnoscens, & supplicem modo, pari cum aliis ratione, accedentem

tem videns, *Faxit Deus*, inquit, *nunquam adhuc, sub meis auspiciis, ejusmodi ignominiam aliquem Tribunum subiisse; nunc quoque inter victores non victos futurus si perseverasses.* Itaque, pudore suffusus, submissionis officium cum verecundia explens, ad Sehinum perrexit.

Solus jam exterarum nationum Alexander Lesleus pariter scotus, tribus, singulis octo cohortium, legionibus Præfectus, restabat. Et hic ergo, tacito fortunam sensu incusans, ad Vladislaum Regem accessit, non jam minus humilis quam antea ferox & fortis. Quippe & ipse, substratis Regiis pedibus vexillis, pergentibus ulterius copiis, trina reverentia, Vladislao Regi supplex, officium victi præstitit.

Ad extremum aliquot Boiariorum sive Moscoviticorum Nobilium vexilla, pari cum præcedentibus ratione, submissionem ad pedes Sacræ Regiæ Majestatis explentes, agmen clauserunt.

Jam vero quam miserabilis facies, ægrotorum, nobilium fœminarum, puerorum, infantiumque in vehis & trahis, ad aliquot millia, singulas legiones sequentium: quis deinde, in maxima equorum penuria, tumultus, quæ lachrymæ, qui ploratus, cum ipsæ nobilissimæ fœminæ, manibus suis, in trahis vehisque, infantes suos, man-

mancipiorum in modum traherent, non facile dictu est. Et hic est famosissimæ obsidionis, & numerosissimi exercitus finis: quo non tantum septennales annorum apparatus, sumptuum inæstimabilis quantitas, & Moscoviticæ potentiæ nomen, in nihilum recidit, sed etiam ex tam numeroso variarum nationum exercitu (qui obsidionis exordio centum septuaginta millium fuisse dicitur) jam non nisi virorum ad bella valentium, sub centum viginti & unum vexillis, viginti millia circiter, in discessu, numerarentur.

Fortuna statusq; Sehini deplorãdus. Cæterum, non minimum Tragædiæ hujus spectaculum, Sehinus, multorum judicio, videbatur melius, cum in vigore esset, exercitu, & tot millium exterarum, præsertim exercitatissimarum ad bella, nationum, manibus, ingeniis, viribus, uti potuisse. Sed ipse aut voluntate & dispositione divina, aut præsentia, fortitudine, virtute, & fortuna Vladislai Regis territus, aut pessima quorundam suorum æmulatione à proposito suo distractus, sæpe vecors, tristis sæpius, & ad extremum, quotidianis successibus victoriosissimi Regis, palam desperabundus. Longe à prudentium Imperatorum bellique Ducum moribus: *Sen: de Consf: ad Polyb:* *qui rebus afflictis hilaritatem sæpius de industria simulant, & adversas res adumbrata lætitia abscon-*

abscondunt, ne militum animi, si fractam Ducis sui mentem videant, & ipsi collabantur. Et tandem eo devenit, ut misericordiam ignominiose rogaret, qui misereri potuit. Et qui spe Sarmatiam universam antea præsumptuose devorarat, jam pudore & confusione gravis, eventus stupore defixus, & consilii inops, Regi, quem irritaverat, genu flecteret: æque & amplius jam faciem Magni Moscoviæ Ducis quam Vladislai timens. Et serius magnæ se illi hominum parti similem intellexit, quæ navigatura, de tempestate non cogitans, naufragio perit.

Vladislai Regis moderatio & clementia laudatur. Verumenimvero Vladislaus Rex, licet ingenti, & quali ab hominum memoria nullus, de potentissimo hoste, victoria potitus esset, nunquam tamen, etiam in ipsis prosperis quotidianis successibus, sui, aut moderationis suæ, oblitus est. Et præsertim in illo deditionis puncto, in quo alii ad sævitiam quam clementiam proniores, perdere infestissimos Poloniæ hostes, quam servare maluissent. Sed Vladislaus Rex, clementiæ memor (*quæ alieno sanguini tanquam suo parcit, & scit homini non esse homine prodige utendum*) *Sen: Epistol: 88.* omnes, ad majorem gloriam suam, salvos voluit. Præsertim cum sciret non esse tot millia, metu mortis, ad extrema cogenda: cum duodecim Anglorum millia olim, à quadra-

Q ginta

gintaGallorum millibus circumdata, offerentia deditionem, & ad misericordiam non admissa, metu mortis, non ad pugnam tantum, sed nobilissimam quoq; victoriam suffecisse, non ignoraret. Quippe *nullus perniciosior hostis est, quam quem audacem angustiæ faciunt: longeque violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corrigimur.* Tum etiam ut omnia fere Europæ Regna (ex quibus singulis propemodum, legiones aliquæ, contra Regnum suum convenerant) beneficio sibi obstringeret: & tamen tot millibus variarum nationum dimissis, quasi de singulis triumpharet; perditurus alias clementiæ laudem; & irritaturus tot populos, quot sanguine purpurasset. Insuper faciliorem Moscoviam (cujus jam pridem electus erat legitimis votis Cæsar) ad obsequium vel imperata fore: quæ alias, tot Principum, Palatinorum, & nobilium cæde, summum aversa, extremis excandescere viribus in ultionem posset. Demum non vicisse videri poterat, si post victoriam, & in ipsa victoria, se ipsum non vicisset. Quippe *nulli Regi gloria est ex sæva animadversione. Quis enim dubitat posse? At contra maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem suæ impendit.* Itaq; ut Moscorum & tot gentium aliarum reatum infra clementiam suam ostenderet, sicut alia omnia, ita

Sen. lib. 2. Natural.

Sen. lib. 1. de clem.

ita se ipsum quoque vicit, & ut de Moscis & aliis gentibus, de se pariter triumphavit. Est enim hic generosissimorum animorum genius, extra victoriæ limites iram non proferre, & Orbi terrarum ostendere, non propter sanguinem se, sed victoriam, pugnavisse: qua obtenta, & hoste ad submissionem & pedes usque humiliato, frameam cum vindicta condidit. Quippe &

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Inde Rex Vladislaus, ne minus pius quam fortis esset, divinæ benevolentiæ dexteram in se agnoscens, victoriarum suarum gloriam, in authorem fortunæ retulit: ut cujus gratia vicerat, ejus, cum gratiarum actione, laudes jubilaret. Itaque sequenti statim die, antequam adhuc hostium castra ingrederetur, in suis, cum toto exercitu, S S. Ambrosii & Augustini hymnum, *Te DEUM Laudamus*, mixta suavissima vocum instrumentorumq; harmonia, lætus gratusq; cecinit. Inde Magnus Cancellarius Regni Jacobus Zadzik, disertissima oratione, divinam providentiam mirifice celebravit: & quam mirabili modo Regna & Imperia hujus Mundi, ille Potentissimus Cœli terræq; Monarcha Deus, & dirigat & conservet: quomodo potentiam Regibus Principibusq;, ad superbos humiliandos,

Regis pro parta victoria, in Deum, & benemeritos gratitudo

2. Martij

andos, communicet, ipse summus exercituum Dux. Hoc cum variis rationibus & exemplis comprobasset, præsenti quoq; casu, posteritati ut futuro mirabili, ita ad instructionem fructuoso & efficaci, demonstravit. Hac oratione finita, Vladislaus Rex, à Deo conversus ad homines, iis, qui in partem oneris & victoriæ venerant, partem honoris & gloriæ tribuit: & belli Ducibus, præsertim Christophoro Radzivillio Duci Lithuanico Generali, & Kazanovio Generali Polonico, pro re bene gesta, gratias egit, & benemeritis præmia regalia prorsus distribuit. Ut est enim Rex virtutis non levis æstimator, & munificentiæ singularis, ita ne diem quidem unum, Regiam erga benemeritos gratiam, differre voluit; ut intelligerent omnes regaliter & ex animo facere, cum cito faceret. Sen: lib. 2 de ben: *Qui enim tarde dedit, et, diem extrahens, profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit; & tempus & argumentũ amicæ voluntatis. Tarde velle, nolentis est.* Quæ Regia Vladislai munificentia, sicut nunquam ita defatigata fuit, ut non, quoties dignum inveniret, quasi ex pleno flueret, ita expeditos, ad ardua quæque pericula, militum animos, spe certa remunerationis, semper reddidit. Si enim Scipio Africanus in Hispania olim, generosum militem auri pugno ad expeditiones porro animavit, quia

quia ipse Scipio dedit, quanto melius Vladislaus, qui & munificentia & victoriis Scipionem Africanum transcendere potuit. Et est hic per se beneficii genius, animos hominum invicem, ad mutuam defensionem, colligare. *Nam quo alio tuti sumus* Lib. 4. de ben: (ut Senecæ verbis utar) *quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio.* Itaq; belli Duces, Tribuni, milites, ad ulteriora, gratia munificentissimi Regis, laude, & encomio animati, affectum & obsequium porro deferentes, sua arma, suas vires, sua servitia, Vladislao Regi largius obtulerunt: duceret tantum, quo vellet, facturos quæ imperarentur. Etiamsi ad Persiæ fines in Astrachanenses, in Permios ad Cingulum Terræ, & Glacialem Oceanum iret, secuturos. His omnibus expeditis, festa passim per castra convivia, congratulationes de hoste triumphato mutuæ, musicalium instrumentorum jucunditas frequens, sclopetorum exoneratio sine noxa: & tandem, tribus vicibus tormentorum omnium, per circuitum castrorum, festa explosione, diei lætitiæ parentatum.

Interim hostilia castra videndi curiositas, & belli Duces, & Tribunos, & omnes promiscue milites, adeoque & ipsum Vladislaum Regem inva-

Rex caſtra hoſtium intrat 3. Mart: & quæ in iis reperta.

invaſerat, ut hoſtiles paulo ante apparatus, in ſuam perniciem tot annis pręparatos, in ſubſidium, ſingulari providentia Dei, ceſſiſſe mirarentur, & quibus infeſtati antea fuerant, jam Poloni ſua lætarentur. Quamobrem, ut Martii tertia dies illuxit, Rex, cum Senatoribus Regni, belli Ducibus, Tribunis, & aliis equitum peditumque officialibus, in hoſtilia caſtra conceſſit. Quæ circuitu emetitus, fortalitiorum frequentiam, ſitum, firmitatem, exoticas artes, ingenium inimicorum ſuorum, & felicitatem ſuam agnovit: ut qui artificioſiſſime ſtructa, & inexpugnabilia prope, tam cito, compulſis ad extremam deſperationem & ignominiam hoſtibus, in poteſtatem ſuam redegiſſet. Cum vero apparatum belli, tormenta bellica, armorum, bombardarum, nitrati pulveris, & ſimilium rerum copiam, perluſtraret, tacito Fortunam ſenſu adoravit. Et erant profecto talia, qualia in nullis unquam caſtris, exercitibus, Urbibus, aut Provinciis etiã integris, expugnatis, fuſis, ad deditionem compulſis, aut debellatis, uno tempore inventa, aut in victoris tranſiiſſe manus meminerim. Ingentes ſiquidem magno numero Baſiliſci, tantæ capacitatis, quantæ antea fere nunquam viſi, reperti fuerunt. Argumentum magnitudinis globi faciant; Unicornu (ſic tormen-

tormentũ maximũ vocabatur) 70. Aliud quod Paſſineck, Poloni Ruſticum vocabant, 50. Lupus 40. Falco 30. Czar, ſive Cæſar, 24. librarũ globos mittunt. Alia deinde tormenta longiuſcula, variæ magnitudinis globos vomentia, viginti novẽ: ut notæ characteresq; indicabant, ut plurimũ in Hollandia Amſtelredami fuſa. Tormenta legionaria, nova omnia & artificioſiſſimè elaborata, 70. Machinę grãdiores (mortaria vulgo) inuſitatæ capacitatis 7. adeo ut cõmodè inſidentẽ virũ caperent, & earum maxima 395. minima 41. librarũ ferrũ vomerent. Quæ omnia tormẽta (ſi 9. alia majora nimiis exploſionib⁹ corrupta, & 12. illa campeſtria, à Sehino Radzivillio Duci donata, adjungamus) 100. ſimul & 32. numerũ explebunt. Inſuper in illis caſtris globi ferrei tormentarij, diverſæ magnitudinis, 7346. Pyroboli, ſeu globi igniti (mala granata vulgo) variæ magnitudinis etiã, 2372. Centenarij pulveris nitrati, 1200. Centenarii plumbi, 887. Bombardarũ, ſivè muſquetorũ, optime elaboratorũ, 10000. Haſtarũ longiorum (quarum in Belgio uſus eſt) 4000. Gladiorum, framearũ, Turcicorum acinacũ, & ſimilium manualium armorum, galearum inſuper, & ferreorum thoracum, pro 30000. exercitu, invẽta fuere. Vt jam palas, currus, cathenas, fomites ſclopetorum, petardas, ut vocant, phaleras equorũ, & re-

& reliquas exoticarum inventionum provisiones taceam, quæ centenis aliquot millibus florenorum comparari non potuissent. Quæ omnia, pro maximo Poloniæ thesauro habēda, Vladislao Regi, hisce perennibus, de maximo hoste, trophæis, per secula triumphaturo cessere. Et jam hic idem mihi occurrit, quod olim in simili, quē prævidebat, casu, vaferrimus Imperator Hannibal Antiocho Magno: cui, arma in Romanos præparanti, & exercitus sui vires apparatumque bellicum Hannibali ostentanti, & hæc num sufficerent Romanis interroganti, sufficiunt, callide respondit, etiamsi avari sint: & verè, quia paulo postRomanus omnia abstulit. Potuit idem facere Vladislaus Rex, acquiescere tantis de superbissimo hoste spoliis, & dicere, sufficiunt ista Poloniæ meæ, quamvis etiam hac suppellectile bellica indigeret.

Rex varialoca expugnat, Bialam obsidet & penitiora Moscoviæ vastat.

Cæterum Vladislaus Rex, cum jam victoriam suam, & amplissima victoriæ suæ trophæa, plenius inspexisset, relictis in Smolensco impedimentis, in Moscoviam ulterius ivit, ut, cum vincere sciret, victoria quoque se uti posse ostenderet. Et quid jam, post illum exercitum, post illas exterarum nationum vires, & iis, quibus fidebat, machinis viduata Moscovia? Quid illa, post ista castra, in quibus ipsa videri poterat debella-

bellata? Non exercitum, non arma, non frontem ostendere ausa, suis tantum se oppidis clausit: et, quantum potuit, præsidiis, & aditibus interclusis restitit. Sed omnia intra ea virtutem, prudentiam, & fortitudinem Vladislai fuere. Quippe, ubi aditus intercluserant Barbari, victoriis penetravit: ubi valla objecerant, ferro humiliavit: ubi oppida præsidiis defendebant, armata manu expugnavit. Et primum quidem, octodecim à Smolensco milliaribus, Drohobusium fuit; potens fortasse resistere, nisi Vladislaus oppugnasset. Sed hujus præsentia in stuporem, timorem, & desperationem versum, sinu victorem admisit. Viatmæa, sive Wiazma, ausa resistere fuit: sed & ipsam, lacubus licet, & fontibus prope Borysthenis, undiq; clausam, intravit; & Polonica signa vallis, portis, turribusq; fixit. Inde, penitiora Moscoviæ penetrans, Bialam, inexpugnabili fere castro superbam, obsedit: quæ, quia deditionem factura tam cito non videbatur, ne totus ille victoriosus exercitus ejus circa oppidum unum distraheretur, missis per diversa terrarum armis, absens præsensque pugnavit. Et aliis copiis ad Bialam hærens, aliis Moscoviam vastans, nominis sui terrorem latius & ubiq; sparsit. Sic Koluga timore correpta, oppido igne deleto, totam se cum liberis, uxoribus, & rebus

 pre-

pretiosissimis, in castrum recepit. Mosaizcum pari desperatione collapsum, idem faciens, insuper charissima, non arci, non castro, nec viribus suis fidens, ad Metropolim Moscuam misit. Sed nec ipsa tuta fuit, cui non semel copiis suis Vladislaus insultans, oculos tripidæ Urbis pulvere fumoque implevit. Adeoq; Vladislaus, uno eodemq; tempore, & Bialam obsidione pressit, & Moscoviam victoriis peragravit.

Mosci iterum & humilius pacem petunt.

Et jam in propinquo erat ut Bialla quoq; humiliata dederetur, cum Moscoviæ Senatores territi, post hanc peiora metuentes, missis Legatis, pacem multo humilius & ardentiꝰ à Vladislao Rege petivere: sisteret majorem sanguinis effusionem, sat pœnarum jam & cladium Moscoviam subiisse: eos, qui authores mali fuerant, iram non effugisse Divinam, & fere innoxiam turbam nunc superesse: hanc pacem & concordiam petere, & eam à clementia ejus Regia non desperare. Et quid aliud per bella deinde & hostium suorum ruinas quærat? Quid speret? Præsertim cum non tolerandas solum desideratę pacis conditiones optent, sed etiam à Statibus Imperii sui plenam de ea ineunda, potestatem habeant. Flexus humili Legatione Rex, non abnuit: ita semper sui ipsius, ut in medio victoriarum suarum cursu, condere ferrum,

rum,

rum, & dexteram inimicis porrigere non dedignaretur. Atq; hac ratione prudentiam & constantiam suam ostendit, invictissimus utraq; sui parte, Vladislaus Rex: ut qui, nec ab hoste, nec à felicitate se passus corrumpi, eundem & lacessente & blandiente fortuna animum servavit; invictus viribus, invictus animo; semper suus.

Pacis leges, à deputatis Regiis, Moscis præscribũtur quas hi acceptãt Anno 1634. 13. Iun:

Itaque, cum animum à ferro jam ad pacem inclinasset, id negotii Jacobo Zadzik Magno Cancellario Regni, Christophoro Radzivillio Duci Birzæ & Dubinki Palatino Vilnensi & Supremo Lithuanici exercitus Generali, Martino Kazanovio Palatino Podoliensi Polonici exercitus Generali, Alexandro Gonszevio Palatino Smolenscensi, Alexandro Piasczincio Castellano Kamenecensi, Marciano Trysnæ Mag: Duc: Lithuan: Referendario, Andreæ Rey Naglovicensi Capitaneo Libuscensi, Nicolao Gniewoscio Lublinensi Signifero, & Alexandro Oginscio Vexillifero Trocensi. Hi, conditionibus in chartam conjectis, ut victores, victis leges proposuere: quibus in utramque partem ventilatis & mature expensis, tandem hisce potissimum perpetuæ pacis articulis convenit.

Conditiones pacis

Inprimis, ut occasio ulterioris belli, discordiæ, & dissidij evitaretur, Rex Vladislaus (cui alias virtute contractus, ante aliquot annos cum Sta-

 Sta-

Stanislao Zolkevio Kioviæ Palatino Supremo exercituum Duce & Coronæ Legato initi, Moſcoviæ Imperium erat) libere, & publicæ pacis ergo, Moſcovitas ab illo, quo ſe obligaverant, juramento abſolveret. jus, quod in Magnum Moſcoviæ Ducatum habebat, Michaëli Fedrowicz, illegitime poſt ipſum electo, remitteret, & decretum electionis, & litteras, prædictum jus & titulum Magni Moſcoviæ Ducis confirmantes, Moſcoviæ Ordinibus reſtitueret. Magnus è contra Moſcoviæ Dux, ceſſionis hujus intuitu, & amicitiæ in Regiam Majeſtatem affectu, Ducatum Smolenſciæ, Severiam Urbem & Principatum, inſuper arces iſtas (quarum aliquæ ſuperiori tempore in poteſtatem Regis venere, aliæ durante hoc bello occupatæ erant, quædam etiam-dum Moſcovitico Imperio parebant) Novogrodecium, Drobobuſium, Biallam, Roslaviam, Starodubum, Poczapovam, Trupieſkam, Nevelam, Sibieſzium, Kraſnam, Moromſcium, Wieliſkawloſam, & Popowagoram, cum earum terris, jurisdictionibus, armis, machinis bellicis, proviſione, omnibusque ad eas pertinentibus, re nulla excepta, cum omni jure & prætenſione, quam idem Magnus Dux ad eas ſe hactenus habuiſſe exiſtimavit, ſpatio duarum ſeptimanarum, præſertim adhuc Moſcovitarum Imperio ſubditas, Centurionibus à Vladislao Rege deputandis traderet, & in æternum Regi, Regno Poloniæ, Magnoque Ducatui Lithuaniæ cederet: ita quidem, ut ne unus harum arcium ſubditus, extra territorium earum migraret. Ne præterea, vi hujus ſtipulationis, Magnus Moſcoviæ Dux, impoſterum totius ſe Ruſſiæ Cæſarem, Smolenſciæ Ducem, aut Severiæ Principem, uti fecerat hactenus, ſcriberet. Adhæc idem Magnus Dux nullum in Livoniam, Curlandiam, Eſtoniamq; jus ſibi aſſumeret, nec bello eas infeſtaret, ullave ratione vexaret: immo nec ulli exercitui tranſitum, ad eas oppugnandas, concederet. Denique nulli Regis Polonorum hoſti, qui nunc aut poſtea eſſet futurus, Magnus Moſcoviæ Dux, pecunia, commeatu, vel milite, auxiliaretur, aut tranſitum, per Regionem ſuam, in damnũ Regis, permitteret: ad quod pariter Poloniæ Rex Magno Moſcoviæ Duci obligaretur, & alter alteri omne bonum volens, hoſtem alterius pro ſuo haberet: gravamina autem, injuriæ, damna, data invicem & accepta, æterna oblivione ſepelirentur. Et ita quidem, Anno 1634. 13. Jun: inter Poloniæ Regem, Regnum, Magnumque Ducatum Lithuaniæ, ab una, & Moſcovitas ab altera parte, ſancita pax: quam deinde Poloniæ Rex & Magnus Moſcoviæ Dux juramento roboraverunt.

Magnum hinc emergebat vaſtiſſimæ utriusq; Monarchiæ bonum. Quippe ſincera concordia, inter infenſiſſima ſibi Imperia, tandem redibat, quæ

Vtilitas ab hac pace utriq; Imperio.

& quantum per hanc Poloniæ accesserit.

quæ amplius sæculo integro fluctuaverat. A quo tempore ingentia invicem damna & data & accepta, vices sæpius variante Fortuna: Principio quidem, nescio quo Poloniæ fato, Moscovitis multo favorabilior. Nam & Smolenscum, sub Magno Duce Basilio: inde, sub Johanne Basilide ejus filio, Polotia, Parnavia, & tandem universa Livonia, Poloniæ Regno erepta. Ut sileam exercitas in Polonos crudelitates, nobiles in captivitatem raptos, & Sarmatiæ non contumeliose semel insultatum. Sed hæc tamen omnia, tribus posterioribus Regibus, in contrarium versa. Quippe, sub inclyto Stephano Bathorio Rege, Polotia recuperata, Savolocia, Magnique Luki expugnati, Plescovia arcte obsessa, & tandem tota Livonia Johanni Basilidi frendenti extorta. Sub Sigismundo III. gloriosæ memoriæ, tota, quanta quanta est, Moscovia victoriis peragrata. Non Borysthenes, non Tanais, non volga restitit. Sed his maximi nominis fluviis sub jugum missis, & ad Mæotidem paludem, & ad Glacialem Oceanum, & ad Cingulum terræ & adorantes Auream Anum populos, & Tartariam Asiaticam victoriis itum. Quin immo, per Casanenses & Astrachanios, ad Caspium usque mare, & ipsos Persiæ fines, Polonicis armis & excursionibus penetratum. Demum & Smolenscum biennii obsidio-

sidione expugnatum, & stratis, Zolkevio Duce, in Clussinensibus campis, Moscicis Suecicisq; exercitibus, ipse Magnus Moscoviæ Dux, Basilius Szuiscius, cum Johanne & Demetrio fratribus, in captivitatem abductus. Quin imo & ipsi Moscoviæ Ordines, ultro Vladislaum, tum Poloniæ & Seciæ Principem, & suis quoque virtutibus famam sui nominis per gentes nationesque spargentem, Magnum Moscoviæ Ducem elegerunt, & litteris quoque confirmavere. Sed hæc ipsa Mosci pari mox levitate rumpentes, electo Michaële Fedrowicz, hoc Scenico Duce, non pugnare tantum iterum, sed, ruptis etiam quatuordecim annorum induciis, insultare quoque præsumentes, ingentes perfidiæ pœnas luerunt. Quippe sub Rege Vladislao Polonia in ultionem acriter excandescente, Smolenscum armata manu obsidione levatum, clausi hostiles exercitus, & tandem, traditis (qua parte Barbari maxime terribiles erant) ingentibus machinis, omnique bellico apparatu, usq; ad Vladislai Regis pedes, magna cum ipsorum ignominia, humiliati. Et nondum satis. Moscovia tandem eo, fortitudine, virtute, & victoriis, Vladislai Regis, adacta, ut pacem supplex, vastissimis duabus, Severia Smolensciaque, Provinciis, & quindecim Urbibus, cum earum castris, arcibus, terri-

territorio, & jurisdictionibus, redimeret. Quo uno quantum terrarum Poloniæ adjiceretur quis ignorat? Ducenta milliaria in longitudine, in latitudine ſexaginta Reipublicæ accedebant. Vladislaus autem Rex Michaëli Fedrowicz, optimo terrarum ſuarum tractu & pluribus titulis ſpoliato, nomen Magni Moſcoviæ Ducis projecit: ut qui in hoc jam nominis, gloriæ, & potentiæ creverat, ut contemnere poſſet. In hôc, Magnus ipſe, Magnos, Alexandrum & Pompeiũ, imitatus: quorum iſte, cum ad apicem victoriarum ſuarum jam perveniſſet, Poro Regi à ſe devicto, non vitam tantum, ſed Regna donavit: Hic tot Regibus Regnisque, incorrupto victoriarum curſu humiliatis, & in Provincias Romanas diſponens, Tigrani Armeniæ Regnum reſtituit; æque glorioſum judicans, facere Reges quam debellare.

Gloria Regis, & honor, in Sarmatiam reverenti, exhibitus.

Itaque Rex, à Bialla (quæ vi contractus pacis, quod æquiſſimum eſt, in poteſtatem ejus jam veniebat) exercitum victorioſum in Poloniam ſuam reduxit. Quantus vero, ô, tum triumphus! quæ gaudia! quæ feſtivæ congratulationes! cum, Moſcovia, quantum alias nunquam, humiliata, & prolatis Regni terminis, victor reverteretur! Occurrebant Magnates ut congratularentur, promiſcue nobiles & plebei ut glorioſiſſimum Regem,

Regem, geminata tot illuſtribus victoriis Majeſtate venerandum, mirarentur, undequaque, tanquam amplius aliquid homine viſuri, conveniebant. Civitates arcubus triumphalibus excipiebant, & viri doctiſſimi Panægyricis celebrabant: quorum neſcio an ulli unquam terrarum Orbis Regi (certe hoc tempore nulli) tot in laudem ingenioſiſſime ſcripti, oblati, dedicatique fuerint. Quos ego, ſi vixero, univerſos, aut quoscunque ſaltem nanciſci potero, de novo typis, ſingulari libro comprehenſos, ut æternitate digniſſimos, poſteritati commendabo: ſinguli alias fortaſſe perituri. Excelluerunt autem hac in parte (ſicut in omnibus aliis ſolent) Patres Societatis Jeſu: inter hos autem Johannes Rywocius, Sacroſanctæ Theologiæ Profeſſor in Academia Vilnenſi Ordinarius; eloquentia vero & Panegyricorum acumine, judicio, & gravitate, nulli, exili meo judicio, toto terrarum Orbe ſecundus. Verumenimvero (ut ad propoſitum redeam) quis ſenſus Vilnæ, quis Warſaviæ, quis Cracoviæ, & per Sarmatiam univerſam, redeunte victorioſiſſimo Rege, tanta rerum geſtarum gloria circumfuſo, porro fuerit, ſuperſedeo dicere: cum tantarum victoriarum ejus fama, Poloniæ ſuæ limitibus neſcia circumſcribi, ad exteras & longe diſſitas nationes vaga,

terrarum Orbem impleret; adeo etiam, ut, cum ad Borysthenem in Oriente fuisset pugnatum, & à fortissimo Rege debellatum, Antverpiæ in Belgio, & alibi, tormentorum explosionibus, campanarum pulsu, festis ignibus, flammis fusilibus, & mille aliis, in tanti Regis honorem, fuerit triumphatum. Claudo itaque hisce elegantissimis, de hac expeditione, versibus, Warsaviæ in Arcu Thriumphali, ad solennem ingressum Regium, scriptis.

Teuto, Anglus, Gallus, Batavusq; Gothusq; Scotusq;.
ad Moscum toto venerat Oceano.
Arma, viros, artes, longinquus miserat Orbis,
jamque ferox belli viribus hostis erat.
Addidit ipse dolos, & rupto fœdere pacis,
perfida securis intulit arma locis.
Rex Vladislaus venit cunctosque coegit,
hinc invita, illinc supplici abire fuga.
Teuto, Anglus, Gallus, Batavusq; Gothusq; Scotusq;
scis quid erant? Hosti pompa fuere, nugæ.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

ARGUMENTUM.

Amurathes Turcarum Imperator, adventu Vladislai IV. territus, ignominiosam Turcico nomini pacem admittit.

SUMMARIUM.

Turcarum fides fluxa, Christianorū firma & Sacrosancta probatur. Vladislaus Rex Alexandrū Trzebiensium LegatumConstantinopolim mittit. Mosci causam & occasionem bello Turcico præbent. Amurathes Turcarum Imperator ab Abazio Bassa quoq; ad Bellū incitatur. Abazius Bassa qualis: cum exercitu in Podoliam venit, & oppidulum parvum expugnat. Vladislaus Rex Konecpolscium Polonicum Generalem contra Abazium mittit. Konecpolscius qualis: ejus virtus & artes militares: Abazij conatus irritos reddit, retropellit, & vincit. Abazius Constantinopolim regreditur. Iterum Mosci Amurathem ad bellum incitant. Amurathis à Mosco petitiones: has Moscus non admittit, & cum Polonis pacem facit. Abazius Amurathem ad arma in Poloniam resumenda incitat. Amurathes Legatum ad Vladislaum Regem mittit. Hunc Vladislaus Rex Warsaviam ad comitia rejicit, & prudenter ad aliquot menses in Polonia distrahit. Poloniæ

 Regis

Regis Legatus, pericula, & varias Abazij technas, prudentissime vitat, destruitq́. Amurathis præsumptuosę petitiones à Legato Polonico: Polonici Legati imperterritus animus & constantia: In Poloniam tamen cum bello dimittitur. Abazius Bassa, majoribus copijs instructus, in Podoliam redit. Rex Koniecpolscium iterum contra illum mittit. Koniecpolscius Abazium Bassam varie constringit. Rex ex Moscovia victor Podoliam versus movet. Amurathis metus ex adventu Regis: Abazium Constantinopolim revocat, & Murtazium Bassam loco Abazij ad exercitum mittit, cum mandato faciendæ pacis. Murtazius à Polonis pacem petit. Poloni conditiones pacis Turcis præscribunt: quæ quia graves ipsis videntur Murtazius tergiversatur. Vladislaus Rex in Podoliam venit: ex hujus adventu consternatio magna in exercitu Turcico, &, præ metu, omnes conditiones admittunt. Regis clementia & virtutes aliæ laudantur.

Polonorum fides firma & sacrosancta.

SUmma Christianis omnibus jurisjurandi servandiq; fœderis sanctitas est. Polonicæ vero nationi etiã peculiaris. Postquam enim sub Vladislao III. olim Poloniæ simul & Hungariæ Rege, multorum Christianorum Principum hortatu, ruptis fœderum vinculis, in Osmanidas arma resumpsit, & insigni ad Varnam clade multata, etiam inita cum Turcis & infidelibus fœdera esse

esse servanda didicit, nunquam postea amplius ad violanda, quacunq; etiam occasione deflexit. Quæ alias, paucorum annorum curriculo, non oportunitas? Osmanus, qui in Polonos universis Turcici Imperij viribus pugnaverat, à Vladislao tunc Principe, crebris cladibus ad emendicandam pacem humiliatus, cum Bizantium inglorius reverteretur, à militibus suis occisus. Mustaphas Patruus ejus & successor, vir prudentissimus alias, ab Amurathe Osmani fratre throno Imperioque dejectus. Insuper & Imperium Turcicum frequentibus à Persiæ Rege cladibus extenuatum. Et illibatam tamen, quam juraverant, Sarmatæ pacem servaverunt. Quin imo Vladislaus Rex, expletis & electionis legitimæ & coronationis solennitatibus, mox, ad morem Principibus Monarchisq; consuetum, sicut ad alios in circuitu Reges, sic Constantinopolim ad Amurathem quoque, singularis prudentiæ, authoritatis, & constantiæ virum Alexandrum Trzebienscium, tunc Leopoliensem Succamerarium, nunc nominatum Præmisliensem Episcopum, Referendarium Regni, expedivit, qui & electionem & coronationem suam, amicam insuper vicinitatem nunciaret; & antiqua cum Ottomañica Domo fædera renovaret. Cum quo quid postea actum sit suo loco dicemus.

Rex Constantinopolim Legatum mittit

Omnia in contrarium interim ab infidelibus Turcis facta. Quamvis enim Anno 1621. victoriis Vladislavianis fracti, Osmanidæ pacem supplices impetrassent, & Anno 1622. missa Constantinopolim honorificentissima Polonorum Legatione, maxima cum Solennitate, jurejurando confirmassent, tamen & fluctuavere identidem, & ad extremum (quæ est Barbarorum istorum levitas) projecta omni verecundia, palam ruperunt. Occasionem autem & causam Mosci præbuere: qui cum & ipsi fœdifragi, non exspectatis induciarum terminis, in Poloniam maximis copiis insurrexissent, & à Vladislao Rege quotidianis victorijs premerentur, Turcam, suis diffisi viribus, respicientes, nudum Podoliæ latus ostendebant, & irruptionem, adjectis muneribus, hortabantur.

Turcarum fluxa fides.

Mosci causam & occasionem belli Turcici præbent.

Pronum erat Amurathis animum ad Arma commovere, cui & Polonorum potentia paulatim gravis, & victoriæ Vladislai Regis suspectæ; quem quotidianis quoq; successibus timere didicerat. Occasio deinde, quam sibi fingebat, propagandi Imperij, communi cum Monarchis & Regibus plerisq; ambitione, quæ eos nunquam in præsentium fortunarum mensura patitur conquiescere, & eo majora cupiũt quo majora venerunt; adeo ut & Alexander, post Orbem, potuerit Orbes esurire. *Nec hoc Alexandri tantum vitiũ fuit* (ut Senecę verbis utar) *quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit: sed omnium quos fortuna irritavit implendo. Cyrum & Cambysen, & totum Regni Persici Stemma percense, quem invenies cui modum Imperij satietas fecerit? Qui non vitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit?* Nec id mirum (ut rationem alibi reddentem videamus) *quia naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia ubi desinant non habent: nullus enim terminus falso est. Via eunti aliquid extremum est, error immensus est.* Cæterum hanc Amurathis ambitionem, inusta quoque Anno 1621. Ottomannico nomini, ab hac ipsa Polona gente, ignominia in ultionem detorquebat: ut & dedecus, & mortem Osmani fratris, ob Vladislai victorias & triumphos acceleratam, per Sarmatiæ & Sarmatici Regis, ut præsumebat, ruinam & funera vindicaret.

Lib. 7. de ben:

Epist. 16.

Aderat quoque Abazius Bassa, homo turbidus & seditiosus, qui prope Babyloniam nuper, occulte dominationem parans, præcipuos, qui obstaculo sibi fore videbantur, Janizarorum & militum aliorum occiderat, & tamen, rem porro ad votum successuram desperans, ut rebellionis

Abazius Bassa qualis. Amurathem contra Poloniam incitat.

nis suspicionem evaderet, Amurathi fucum faciens, præcipuos fratris ipsius Osmani interfectores, non terra, nō vita, spirituq; dignos, è medio se sustulisse, & necem ejus ultum, ad bellum in Polonos & Vladislaum Regem anhelare dixit; quo primos ruinæ ejus authores, & inustam Ottomannico nomini ignominiam, pariter ulcisceretur. Sic homo vafer, perfidus, seditiosus, & turbulentus, ut ruinam suam evaderet, aliis præparavit: nec innocens tantum videri voluit, sed Cæsarianæ familiæ & Ottomannici nominis Zelator. Hic itaque susurrationibus quotidianis, pronum ad arma Amurathis animum, porro trahens, non hoc tantum obtinuit, sed etiam, ut ipse belli Dux constitueretur, effecit.

Abazius in Podoliam venit & opidulum parvum expugnat Anno 1633. Mox ergo numerosissimo exercitu, non secus quam jactaverat antea, superato Danubio, per Valachiam Moldaviamque, ad ipsos Podoliæ fines, Martem mortesque spirans, ferebatur. Sunt autem in Podolia parva ejusmodi oppida, quæ Magnates Poloni, promotis porro in fertilissima & deserta tamen terra Coloniis, nova quotidie novaque ædificant, & adversus subitas Tartarorum irruptiones tumultuario opere muniunt. Horum unum cum Abazius Bassa, totius exercitus sui viribus, insultibus variis, & non sine magna

gna tamen militum suorum jactura, expugnassent, non aliter Constantinopoli (ut à viris fide dignis, qui tunc temporis ibi fuerunt, accepi) quam de Sarmatia capta triumphatum. Adeo quippe Barbari victoriis ex Polona gente desueverant, ut minutissima res in maximæ victoriæ æstimationē veniret. Quid ergo? Abazius quoq; Bassa ferocior, & inopinato successu animosior, acrius imminebat; ratus Poloniam quoque cessuram, quia vile municipium cesserat.

Et profecto grande periculum erat, nisi in Vladislaum Regem periculum incidisset. Sed recte Seneca: *tanti quodq; malum est, quanti illud taxavimus.* *De Consol: ad Mar:* Rex quippe ad nuntium rei prorsus impavidus, quam magnū & regium ad subita & maxima animum: quid ingenij & prudentiæ corporis sui Majestate conderet, tunc maxime, si unquam alias, universo terrarum Orbi ostendit. *Vladislai Regis impavidus & generosus animus.* In Oriente & Septentrione tot Russiæ, Moscoviæ, & exterarum nationum populis, & viribus illis, quas Osmanidæ ipsi, post suas, semper formidabiles maxime judicaverunt, implicitus: à Meridie Imperij Turcici, communi passim mortalium omnium judicio, potentissimi totius mundi, in Sarmatiam impetu lacessitus: cum alia quoque parte Tartari imminerent, ab alia Sueci minarentur: & ipse ab

omni

omni latere, viribus quasi Terrarum Orbis, cum Polona virtute in medio premeretur, nimium dico, infestaretur, stetit tamen erectus sub quolibet pondere. Et adeo non desperavit, ut, non dico tantum sustinere omnes, non dico submovere, sed vincere etiam & debellare præsumeret. Et quid aliud quam ille generosissimus, ex sapientissimis, Herôs: quem Romanus Philosophus magis quis debeat esse, quam fuisse vel esse describit? *Nulla illum res,* inquit, *minorem facit, nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet. Nam quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur: vires suas novit: scit se esse oneri ferendo.* Ita me hercule: & intellexit postea Orbis, Vladislaum Regem non parem tantum oneri fuisse, sed superiorem etiam de omnibus triumphasse.

Seneca Epistol. 71

Rex Konecpolscium contra Abazium mittit, & quis ille Konecpolscius.

Cæterum, ut ad rem veniamus, Vladislaus Rex, cum Abazius Bassa Poloniæ finibus terrorem suum illideret, consultius judicavit, medium victoriarum suarum cursum ad Smolenscum non deserere, sed probatissimo aliquo belli Duce, Turcas, quantum fieri posset, finibus submovendo, distinere. Et poterat facilius hoc, cum talium Heroum Polonia hoc tempore felix, non unum protulisset; sed alios, pro maturo judicio suo, Rex penes se retinens, Stanislao Konecpolscio Castellano Cracoviensi,

viensi, Generalissimo Regni Poloniæ exercituū Duci, Supremo, ex secularibus, Poloniæ Senatori, hoc potissimum negotii dedit. Hic autem est ille Konecpolscius, qui cum famoso illo exercituum Duce Zolkevio, Turcicarum victoriarum, & fatalis quoque cladis particeps, Constantinopolim in captivitatem abductus, geminata ex infortunio felicitate, ad gradum altiorem, & innumeras de iis victorias, in Poloniam rediit: qui ad Amerstinum, numerosas Suecorum copias, & quasi exercitum integrum, sub Strefio & Teufelio Ducibus, ad deditionem cogens, sub jugum misit: qui ferocem illum Baudisium, sua manu saucium, dejecit ex equo, & captivum in castra retulit: qui Pucensem Portum, novo atque inaudito opere, excitatis in ipsa marina glacie aggeribus, ad deditionem compulit: qui Gustavum illum, adeo toti Europæ terribilem, tot annis ita coercuit, ut signa contra ipsum explicare nusquam ausus fuerit, aut arcem non nisi astu tentare. Hic tantus vir, tantis victoriis densus, quomodo terror iterum Turcarum exstiterit, et, ad mentem Vladislai Regis, lente festinando, Abazii Bassæ ferociam comminuerit, hujus primæ irruptionis exitus docuit.

Noverat hic prudentissimus Imperator, belli Ducem, in tempestate maxime, cautum Guberna-

Konecpolsciy virtute & militaribus artibus Abazius Bassa retro in Turciam pellitur.

torem navis sequi oportere. Hic enim, licet vento sæpius secundo feratur, brevia tamen alibi, alibi saxa & charibdes, alibi scopulos & scyllas noscens, directo obliq; gubernaculo, dimidio vento contentus, lentius proficiendo, has Oceani, maris, & Neptuni insidias cavet, & ad portum tamen, tarde accelerando, properat. Ex occasione vero, permissis vento velis, ubi pericula nulla metuit, libera grassatur via. Hoc, ut noverat Konecpolscius, imitatus est. Siquidem Belgicarum artium non ignarus, valla primum, munitiones, propugnacula, suggestus, cuniculos, & similia moliebatur:& hostem tam diu artibus & ingenio lusit, usq; prima ejus tempestas desævisset. Inde caute, ubi scopulos scyllasque Martis metuebat, exercitum suum promovens, ad angustias paulatim inimicos ipsos redigebat. Ex occasione etiam, ubi insidias non metuebat, secundo Fortunæ flatu utens, liberis grassabatur armis, copiis, præliis, victoriis, & ad metam sibi destinatam tandem pervenit. Quippe Abazium Bassam, Poloniam paulo ante & spe & præsumptuosis verbis devorantem, eo angustiarum redegit, ut Polonos vice versa metueret, & ad extremum, paulo ante tam altum spirans, jam desperaret. Itaq; idem ille Abazius Bassa, jam pudore, cladibus, ignominia gravis, per Valachiam iterum,

iterum, transmisso Danubio, eandem, qua antea jactabundus venerat, viam, plenus confusione, relegit.

Moscus iterum Amurat hē cōtra Polonos incitat, & Amurathis petitiones à Mosco.

Et peractum erat irrita illa expeditione bellum, nisi pessimos consiliarios iterum & suggestores Amurathes habuisset. Sed partim infelicitate sua, quæ ad pacem movere debuerat, irritatus: partim ingenita ambitione ab omni mente sana alienus: partim ab iis, qui Polonica arma metuebant, incitatus, in sequentem annum arma iterum & bella, majore quam prius animo & apparatu, præparavit. Primam, sicut antea quoque, facem Magnus Moscoviæ Dux subjecit. Hic ad Smolenscum exercitu jam, bellicis machinis, & Martia omni suppellectile, à gloriosissimo Rege Vladislao exutus, & in summa necessitate constitutus, humilius iterum in Poloniam irruptionem supplicabat. Et Amurathes, ex necessitate ipsius compendium suum facturus, facile assensit, *dummodo annuo ingenti tributo subjectionem promitteret, Regnum Astrachanense universum traderet, & exercitum ad Poloniæ fines commeatu & sumptibus suis aleret.* Quæ conditiones ita Barbaræ Magno Moscoviæ Duci visæ, ut clementiam Vladislai Regis nuper in exercitum suum expertus, ad eam confugere potius, Provincias aliquot & Urbes tradere, & pacem con-

 ditio-

ditionibus æquis, ut postea factum, impetrare in animum suum induxerit.

Alij ad bellum Amurathem incitant, & præsertim Abazius Bassa.

Mosco itaque ad consilia saniora converso, alii, quibus tempestas etiam à Polonicis armis imminebat, aut quibus nimia felicitas Polona gravis, succedebant, & Amurathis gulam ad vomitum irritabant. Deinde etiam, quia expeditione inita; jam inchoaverat bellum, pace nondum facta, irritatos in ultionem Polonos, in eorum quærere finibus, quam in suis exspectare decreverat. Insuper idem Abazius Bassa, sceleribus conscientiæ malæ cruciatus, cum faciem Amurathis ferre non posset, expeditionem iterum & arma suadens, nova identidem novaque consilia, quomodo Polonia debellanda, suggerebat: non ipsius, nec fortunæ culpa, nec etiam virtute Sarmatica, sed quorundam æmulorum suorum vitio factum, quod prior expeditio exitum optatum non habuisset. Cæterum, malevolis illis amotis, prosperrima omnia polliceri: facturum Poloniæ Regnum tributarium, & Sarmatiam universam ad Mahometis legem & sacra coacturum. Quæ omnia magis ut absens esset, quam quod successura speraret, quotidie per opportunitatem insinuans, adeo Amurathis animum occupavit, ut ille quoque hæc, quæ vafer homo promiserat, posse fieri sibi leviter persuaderet. Ita ambitio cæca movens cerebrum, & in vanas mentes imagines evocans, multum inter falsum ac verum mediæ caliginis fundit: nec ante oculos potentissimis aperit, quam certa calamitate pulsarit. Et ita quoque cum Amurathe tandem factum est.

Amurathes Legatum ad Regem mittit, quem Rex ad menses aliquot prudenter detinet.

Interim ambitionis suæ consilijs jam occupatus, Legatum, seu exploratorem verius, in Lithuaniam ad Vladislaum Regem misit, ut sub specie insinuandæ pacis, latentis belli commoda, occasiones, vires hostium, animos, occupationes, & bellum qua maxime ratione gerendum, quam posset curiosissime scrutaretur. Sed calliditas infra Vladislai Regis prudentiam erat: qui, quod res erat, subodoratus, Legatum audire noluit: sed alia nec minori calliditate, Amurathis calliditatem, aut prorsus irritam, aut inutilem redditurus, Warsaviam illum, & post menses aliquot futura Regni comitia ablegavit, ut, seu bellum, seu pacem adferret, publice Regni Ordinibus declararet. Hoc enim eo consilio faciebat Rex, tum ut à se longius ablegatus, quid ipse moliretur, non adverteret: tum etiam, ut mensibus aliquot distineret, & suspensum interim Amurathem tenens, omnia in tempore, ad tantam belli molem sustinendam, necessaria præpararet: & denique, ut, quid cum

cum Alexandro Trzebienſcio legato ſuo Cōſtanti-
nopoli ageretur, quid reſponſi acciperet, ſanusne
rediret, & alia hiſce ſimilia paulatim cognoſceret.

Quam id ſalutari conſilio Vladislaus fecerit mox even-
tus docuit. Quippe jam ſuperatis, in partem, & aſperrimæ
hyemis, & tot, tantisq; viarum moleſtijs, Alexander
Trzebienſcius idem, paulatim Byzantio appropinquarat.
Tum vero omnibus in eum machinis, quibus unquam, ab
inimico & hoſte, in legatum ullum, calliditate, verſutia,
blanditijs, minis, terroribus, & non una imagine mortis,
bellatum eſt. Quæ omnia tamen an ſubdolè magis, fortius,
imo ſævius, à Turcis admota; an à legato prudentius, ani-
moſius, & generoſius vitata, fracta, ſpretaq; fuerint, æquè
difficile judicemus. Inprimis Abazius Baſſa (qui longè di-
verſa à tributo, quod de Polonia falſo Amurathi perſuaſe-
rat, legatum ferre non ignorabat) innumera capiti ejus pe-
ricula ſtruxit; quibus à legato ſingulari prudentia & mag-
nitudine animi evitatis, vias omnes obſedit, ne aut ipſe,
aut fama adventus ejus, ad portam Ottomannicam pene-
traret. Sed Legatus crebrioribus litteris, & ſecretis calli-
bus uſus, & adventus & nominis ſui famam Conſtantino-
poli publicavit; & ad quadraginta Eccleſias (quas Kirkli-
ſam Turcæ vocant) ſalvus tandem cum ſuis emerſit. Quod
ut Abazius ſenſit, ſpecioſo occurrendi titulo ab Impera-
tore dimiſſus, mox ad idem oppidum pernicibus equis ad-
volavit, & grandi ſupercilio, & caperata fronte, omnia
minarum & terriculamentorum inſtrumenta exſplicavit,
ut arietato ijs legati animo, & perpetua tributa, & Otto-
mannicam profeſſionem, & fortalitiorū in finibus Regni,
demolitionem exprimeret. At cum, præter opinionem, à
Legato, non jam forti tantum ſed etiam indignabundo,
non hæc cum viris, ſed fœminis & infantibus tractari oportere,
audiret,

Abazij Techna fruſtranea in Legatum Polonicum.

audiret, à vano tortore mox ſubdolus adulator, generoſi-
tatem ejus encomio mulcens, ut itineris ſui moleſtias die-
rum aliquot quiete leniret, interea vero, ſi quid litterarum
ad Imperatorem haberet, ſibi concrederet, hortabatur. Sed
Legatus, *Se nec itineris moleſtia fractum, nec ad Vezirium, ſed
Imperatorem, miſſum*, reſpondit; *& proinde nihil acceptius fieri
poſſe, quam ſi litteras, è Vladislai Domini ſui manibus ſumptas,
quam citiſſime Amurathis reſignaret.* Exarſit ad hanc vocem
Abazius, & confeſtim Byzantium abiens, Legatum va-
ferrimum hominum inſimulavit; adeoq; & Amurathi Im-
peratori, ut in præſentia Veziriorū, ſolus cum ſolo (quod
hactenus inauditum) ageret, perſuaſit, ut ſaltem vultu, vo-
ce, dignitate Cæſaria confuſus, ad propoſita diſponeretur.

Mox ergo, cum Trzebienſcius, non longe poſt adven-
tum ſuum, ad Imperatorem introduceretur, Amurathes,
compoſitis ad terrorem omnibus, quaſi per dialogiſmum
quendam exorſus, ab eo, *qua de cauſa veniſſet*, interrogavit.
Cui Legatus; *ſe à noviter inaugurato Rege, ad novum Impera-
torem, de more priſco, ad amicam Vicinitatem intimandam, & o-
lim inita cum Sultano Solimano fœdera confirmanda, veniſſe*, re-
ſpondit. Tum Amurathes, *hic non de pactis & fœderibus
confirmandis, ſed graviſſimo bello agendum eſſe*, jactavit, *nec in-
ter ſe & Poloniæ Regnum amicitiam aut vicinitatem ullam peren-
nare poſſe, niſi annuo aliquo tributo ſe ſuperiorem agnoſceret, pro-
pugnacula finitima dirueruntur, & inſuper magni Mahometis do-
gmata amplecteretur. Eligeret itaq;, an hæc tria, an bellum mallet.*
Ad hæc Legatus; *Tributi, demolitionis munimentorum, & mu-
tandæ religionis, petitionem, Polonis, in ſumma libertate viventi-
bus, vel ſolo auditu intolerabilem eſſe; præſertim quam diu adhuc
dexteræ frameis ſuis ſufficerent. Se ergo, quamvis ad agendam pa-
cem veniſſet, abominari nefandiſſima tria, & honeſtiſſimum bel-
lum malle.* Excanduit Amurathes, & gladium ſuum mo-
vens:

Amurathis præſumptuoſa petitiones à Legato Polonico, & hujus magnanimitas.

vens: *Ergone, Legate, Me tantum Monarcham esse, cujus acinacẽ universa terrarum Orbis nationes horreant, ignoras? Scio,* Legatus, *sed hoc etiam à pari me Monarcha venire,* respondit. *Itaq;* subjecit Amurathes, *exercitu innumerabili ingrediar Poloniæ Regnum, vibrabo acinacem meum, & manu, ferro, flamma, usq; novissimam ejus ruinam, & exterminationem grassabor. In tua manu est,* inquit Legatus, *bellum sumere, sed non item vincere, ó Imperator. Stringet & Vladislaus non nisi victorijs gloriosum ferrum, occurret Monarcha Monarchæ, vires viribus opponentur: & multo nostra meliore causa, de qua jam & fortuna nuper, ad Hotimum, in Valachia judicavit.* Fremuere Vezirij ad exosam cladem, & magis quod Amurathes, quod hoc oraculum suum, homini Christiano vilesceret, Quin & Constantinopolis tota postea movebatur, & Abazius, de capite suo agi timebat, quod tantum Monarcham cum uno Legato commisisset. In Asiam vero scriptum, & adjectum etiam fuit, non Imperatorem in Legatum, sed Legatum in Imperatorem (quod falsum erat) gladium strinxisse. Ipse Amurathes autem, magnanimitate Legati, dictis fortibus, & ore libero pro libertate, delectari visus est: quod vulgata ejus ad Vezirios verba, *Tales deberetis esse ministri,* probare videbantur. Certe nihil acerbius, post hæc, in illum dixit, sed bene valere & abire jusso, Vezirijs suis, ut extra cameram eum deducerent, imperavit.

Abazius ab Amurathe missus in Podoliam redit. An. 1634.

Cum vero bella tam acriter crepuisset, nec minus alacriter, summo omnium cum stupore, Trzebiensciús excepisset, ne minori apparatu quam jactantia gereretur, eundem illum Abazium suum (quem infensissimum Poloniæ Regno non ignorabat) cum potissimis Imperij sui viribus, ad Podoliæ fines, terra marique, dimisit. Triremibus maiora tormenta, camelis & curribus commeatus vehebatur; & per Danubium, provide jam ponte stratum pedestres & equestres copiæ (quæ amplius centum millium, exceptis Tartaris, fuisse dicuntur) Abazius Bassa, Poloniam versus, tumidior promovebat. Diceres Karakassij animum, & Osmani vires, in uno Abazio, in Poloniæ terrorem revixisse. Accedebant alia parte Tartari, vaga manus, quæ, illatam olim à Bathi suo Principe, vastitatẽ, jam à longe iterum Sarmatiæ minabatur.

Sed hæc, pro consuetudine sua, superbius & jactabunde magis, quam fortius illi. Siquidem, *ut præcogitati mali mollis ictus venit;* &, quod dicitur, *tela prævisa minus feriunt:* ita omnia illa, in providentiæ Vladislavianæ scopulos illisa, instar fluctuum, fracta resiluere. Quippe jam prudentissimus Rex iterum fortissimum virum Konecpolscium, superioris anni successu, in Abazium Bassam, ferociorem, in occursum eo direxerat, tanquam unum sufficientem adversus omnia. Et profecto Konecpolscius Generalis, parum mox interesse docuit, Abazius Bassa paucioribus, an numerosioribus copijs

Konecpolscius iterũ à Rege missus, Abazium Bassam varie rursus constringit.

pijs dimicaret. Iterum illum, pauco milite constrinxit: & modo Fabius, modo Marcellus, cunctando sæpe, sæpius præliando, continuis artibus cædibusque fatigavit; adeo etiam, ut apud exercitum suum, in contemptum Abazius Bassa veniret.

Interim quoque jam Vladislaus Rex, Magno Moscorum Duce humiliato, & oppidis Provinciisque multato, data Septentrioni pace, victorem exercitũ, adversus Turciam, in meridiem, circumagebat; ut gladio suo, nondum deterso Moscorum sanguine, in exitium Imperii & Imperatoris Turcici, feliciter uteretur: & hoc eo fere tempore, cum à Comitiis Legatus Turcicus, litteris, ad Imperatorem suum, arma spirantibus, à Republica Polona instructus, Constantinopolim remearet. Nunquam magis quantum authoritas & fama unius fortissimi & felicissimi Regis in utramq; partem, & præsertim in hostium terrorem, valeat, adnim- adversum. Quippe cum ille Legatus Byzantium, & ad Amurathem ingressus, liberas liberrimæ Reipublicæ litteras, Vladislai virtutes, victorias, fortunam, et, quod maximum erat, ejus Turciam versus mota victricia arma tradidisset, tantus subito pavor omnes, & ipsum Amurathem Cæsarem, invasit, ut, mutato repente consilio, pacem, & quavis conditione concordiam, à superbissima non

Vladislao Rege advers° Turcas movente Amurathes Abazium revocat, & Murtazium Bassã illi sufficit, cum mandato accelerãdæ pacis.

 ita

ita pridem præsumptione, respiceret. Quia autem Abazii Bassæ tumultuosum ingenium noverat, & pacem, eo circa Poloniam adhuc hærente, desperabat, misso nuntio, ab exercitu eum Constantinopolim revocavit: & in locum ejus Murtazium Bassam, modestioris ingenii virum, cum mandato accelerandæ pacis, suffecit. Verissimum est, spurium propositum esse quod ambitio generat, & quamvis maximo fervore cœperit, ad exitum non perseverare. Ille Amurathes, ille superbissimus Imperator, cujus verba, vota, præsumptionem, paulo ante, plus nimio vidimus; cujus viribus sufficere Polonia non videbatur, jam solius Poloniæ Regis terrore fractus, pacem tam humiliter ambit, quam antea superbe rejecerat; imprudentissimus hominum secundum Senecam: quippe, *sic maxime*, inquit, *coarguitur animus imprudens: alius prodit, atque alius, & (quo turpius nihil judicio) impar sibi est.* Ego vero & animum, & propositum, & conatum ejusmodi hominis, fumo similem judico. Quemadmodum enim fumus, ab igne noviter accenso, & cum viridi difficilique materia commisso, in altum copiosus ascendit, & vehementi agitatus vento, quasi momento temporis, per aërem dissipatus evanescit; ita conatus improbi, ab illo ambitionis

Epistol: 120.

nis igne, bellicosis præsertim gentibus Regibusq; commissi, licet varii, fusi, & copiosi, valido adversitatis vento prorsus in nihilum tandem, & inanem fabulam vulgi, rediguntur.

Cæterum Murtazius Bassa, vir prudens, callidus, & ingeniosus, & pacis & Imperatoris sui respectum habens, media serio excogitabat, quomodo & illam procuraret, & authoritatem hujus integram conservaret. Ad hoc Sarmatas captivos honeste habebat, & quosdam etiam, opportunos negotio, sine lytro dimittens, per hos pacem Poloniæ Senatoribus insinuabat. Et hi, certam pacem sperata victoria potiorem judicantes, non abhorruere. Et tandem res eo deducta est, ut prudentiores aliqui, ab utraque parte, ad formandos articulos, deputarentur. Quia autem Poloni victoriæ viciniores erant, ita ad placitum, utilitatem, & gloriam suam, pacis leges præscribebant: quarum præcipua fere capita hæc fuere: *Ut tributum, nullo unquam tempore, à Polonis petere Turcæ præsumerent: Tartaros, qui Cantimiro Duce, in Bialogrodiensibus campis, domicilia sua fixerant, ex illis tollerent; renuentes etiam armis internecione delerent: oppidorum, arcium, & castellorum Polonicorum, ad Tyram, demolitionem, in æternum non postularent: arces, ad Poloniæ & Hungariæ fines, præsidiis*

Murtazius pacē petit, cujus conditiones illic præscribuntur.

suis Turcæ non munirent: Valachiæ & Transylvaniæ Palatinos (quod proposuerat) Turcarum Imperator non amoveret: sed eum Valachiæ Principem faceret, quem Poloniæ Rex, & vellet, & commendaret.

Murtazius tergiversatur, sed adventu Regio in Podoliam territus conditionibus subscribit.

Dura hæc Murtazio Bassæ, & parum ad respectum, authoritatem, & gloriam Amurathis Imperatoris, Domini sui, videbantur. Itaq; aliud ex alio trahens, moras nectebat, ut si aliquo interim prosperiore successu, ad humiliores, Sarmatas, cōditiones disponeret. Adhæc Turcici Imperii vires identidem extollens, eas, conditionibus minus honestis, non irritandas monebat. Nonnunquam etiam, vultu verbisque, bella iterum & arma potius, quam pacem, spirans, Polonorum animos & constantiam explorabat. Et in eo res erant, cum ab exploratoribus nuntiaretur, Vladislaum Regē, cum exercitu illo victorioso, quo Moscoviæ Monarcham humiliaverat, per Russiæ fines, in Podoliam transiisse. Quo inexspectato nuntio, Murtazius Bassa, perterrefactus, non ulterius cunctandum ratus, conditionibus omnibus, ne una quidem excepta, statim subscripsit: suspensionem armorum interim, à Generali exercituum Duce Konecpolscio, petens, ut de omnibus ad Imperatorem suum referret: quo de imminente cervicibus suis Vladislao Rege, & con-

& conditionibus, quas ob vicinitatem illius, & præsenti necessitate compulsus, iniisset, Amurathem certiorem faceret.

Amurathes metu Regis, conditionibus assentitur.

Quid autem ad hæc, & ignominiosa nomini suo, &, in Barbam ipsius, prorsus, & quasi è diametro, superbæ nuperæ præsumptioni contraria, Amurathes? Præ Vladislai Regis impetu omnia placuere, & acinacem suum, quem horrere universas nationes Orbis jactaverat, quo ruinam & exterminationem Poloniæ populis minatus fuerat, cum magno dedecore suo, subito condidit, ne gladium Vladislai Regis experiretur. Sed, ne affectui aliquid ego tribuere videar, hæc, & alia hisce similia, in ipsis Murtazij Bassæ, ad Generalem exercituum Ducem Konecpolscium, litteris, 24. Sept. Anno 1634. ad eum scriptis, & ab hoc ad Jacobum Zadzick Magnum Cancellarium Regni transmissis, videamus.

Significo Illustritati vestræ, quia Mechmet Celebi, qui ad vos ante mittebatur, postea à me ad Serenissimum Imperatorem Dominum meum missus, attulit mihi ab eodem scripturam ejusmodi. S. Quicquid ibi pepigisti ac contraxisti, totum id concedo tibi. Quod autē scribis de Cantimiro Bassa cum suis Tartaris tollendo, eundem quoq; meū esse servum scis. Scribe illi aliam te provisionem concessurum, ut sua sponte abscedat:

dat:

dat: quod si non fecerit, eum cum exercitu aggredere, animadvertasq; in ipsum, uxores, liberosq; suos. Quare fide mea, jureque jurando promitto Illustritati vestræ, me in ipsum ita animadversurum, ut dictu sit impossibile. Præterea, motu ejusdem scripturæ Imperatoris Domini mei, convocavi copias omnes, præcipuè Vromelensium, Bosnensium, Silistrensium, imo etiam nuncios Regiæ Majestatis, & Ducis Crimensis, ad capiendum in ea re consilium. Postquam vero Tartaros tollemus, instituemus præfectos ejusmodi, qui perfidos homines cædant, nec Crimo exire, sine litteris, quempiam permittant, ut fœdus idem, quod cum Sultano Solimanno peractum antea fuit, deinceps semper vigeat. Quærebam etiam ex nuntio vestro, utrum velletis Cosakos, quo minus Turcicis terris damnum inferrent, coërcere. Quod quia affirmavit fore, ego similiter omnia promitto. Restat duntaxat ut Schahin Aga maturè huc adveniat, quem cum nuntio vestro, una ad Imperatorem Dominum meum mittamus, ne exercitus hic ad hyemem usque durent, utque pacifice digrediamur ab invicem. Cæterum Illustritatem vestram Deo commendo, qui præstet, ut audiam Illustritatem vestram benne valere.

Ecce humiliatum Amurathem Turcarum Imperatorem. Sed nondum satis. Ut exacerbatum Poloniæ Regis Vadislai, in se, & præsumptionem suam, animum (quem non ignorabat, *Parcere subjectis & debellare superbos*) mitigaret, & gratiam ipsius aliquo singulari facinore promereretur, potissimum Authorem belli Abazium Bassam, alias propter callidas adulationes charissimum sibi, suffocari fecit, ut quantum posset se etiam culpa & crimine liberaret; alio etiam modo, ut metu fortissimi Regis exoneraret animum, gratificaturus, si potuisset. Sed ne & hic præter veritatem quippiam dixisse videamur, litteras 26. Sept: ex castris ad Cameneciam, ad eundem Magnum Cancellarium Regni scriptas inspiciamus.

Amurathes in gratiam Vladislai

Regis Abazium Bassam interficit.

Gloriosa admodum est pax hæc, quæ S. R. Majestati hisce diebus magna cum oportunitate evenit. Tametsi enim Turcæ Sectæ suæ impiæ eam legem habeant, qua obstringuntur, ut cunctas nationes ad eandem Sectam trahant, sibique tributarias faciant, tamen ab ea nunc per conditiones descíscunt. A castellorum nostrorum ac oppidorum demolitionis postulatione supersedent. D'Nestrum nobis pro finibus concedentes, Cantimirum cum suis Tartaris, campis Bialogrodiensibus pellunt, atque in posterum nullum unquam iis locis passuros se promittunt. Palatinum Valachiæ eum quoque quem S. R. Majest. pro voluntate sua ac antiquis pactis commendaverit, spondent se præfecturos. Immo,

 quod

quod gloriosissimum est, non pudet fateri Timam Age, de medio sublatum esse Abazium Bassam hujus belli authorem: eo scilicet, ut S. R. Maiestati satisfaceret: qui ipsi ita charus erat, ut id post ipsius interitum ita luculenter testaretur, ut pro suis exequijs 20000 Asprorum daret, in Illustris cujusdam Bassæ monumento cōdi vellet, suffragiaque publica, pro Manibus ipsius, reliquis Bassis indiceret. Denique Valachiam, Moldaviam, Transylvaniã, quas hoc motu Turca in Provincias, Palatinis isthinc sublatis, Bassisqne inductis, voluit redigere. S. R. Maiestas summo malò laboravit. Advertit quippe Tyrannus rem sibi cum eo Monarcha esse, cujus amicitiam deinoeps sibi oportunam fore ducat. Ita gloriosa pacis hac transactione, gloriose S. R. Majest. nostra, ac felicissime apud posteros æternabit.

Vladislai Regis prudentia in hoc bello, Clementia, & gloria apud suos.

Et hic est finis istius belli Turcici, maxima ipsorum superbia, præsumptione, tumultu incepti, majore ignominia, damno, pudore, finiti: sic ut verissimum in illis fuerit.

Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.

Attamen quanto majus Amurathis & Turcarum dedecus, tanto major Polonorum & Vladislai Regis gloria. Qui omnes hostium conatus prudentia lusit, per fortissimum Ducem Konecpolscium fregit, & tandem adventus sui fama consummavit. Adeo ut hac in parte Julium Cæsarem, Mithridatis filium more fulminis, quod venit, per-

percutit, & abscedit, debellantem, longe superarit. Ille enim venisse, vidisse, & vicisse glorietur, Vladislaus autem venisse, non vidisse, & tamen vicisse poterit gloriari: & quidem tanto majores hostes, quanto Amurathes major Pharnace, & Osmanidæ Ponticis potentiores. Itaque Vladislaus Rex, cum uno eodemque tempore, à duobus potentissimis Monarchis, & à Septentrione, & à Meridie premeretur, & utrumque eodem anno superaret, docuit terrarum Orbem, quid possit in summo periculo summa virtus, & fortitudinem prudentiæ junctam, numerosis hostibus, validissimis viribus, & imperiis maximis, potiorem esse. Et quid in utrosq; non ausus fuisset, nō potuisset, nisi magis clementiæ laudem, quam severæ ultionis impetum odiumq; respexisset? Maluit autem parcere, ut cum duos potentissimos hostes vicisset, addita tertia, de animo suo, victoria, mirabilior omnibus redderetur. *Quem enim magis admirabe-* *Senec. lib. 4. deben:* *ris, quam qui imperat sibi, quam qui se habet in potestate? Gentes facilius est Barbaras, impatientesq; alieni arbitrij regere* (addam ego & vincere) *quam animum suum continere & tradere sibi.* Quid amplius? Aderat quoq; necessitas quædam festinandi, cum tertius hostis à Septentrione immineret: & pertinatior imo deterior ille quia rebellis. Itaq; cum

 tanta

tanta celeritate potentissimos hostes, victos & humiliatos, prescriptis pacis legibus absolvisset, quasi non integra virtute, sed una manu usus, duo tantum, veluti per transennam, impedimenta sustulisse videri poterat, ut in hosce, de jure suos, tota intentione expeditior esset: quod maxime etiam Poloni desiderabant, ut obsessi portus vendicarentur. Et omen erat prosperioris successus, quia cætera tam feliciter cesserant. Quapropter Vladislaum, ut nuper à Moscicis armis, sic nunc à Turciæ finibus reducem, ut Herculem suum & Patrem Patriæ venerabantur. Et quid ni? Maximis, quæ in hominem cadere poterant, beneficiis subditos suos affecerat. Quippe, ut Latinus Sapiens de beneficiis ait, *Prima hujus notæ sunt, hostium manibus eripi, & Tyrannicæ iræ, & proscriptioni: & aliis periculis, quæ varia & incerta humanam vitam obsident. Quicquid horum discusserimus, quo majus ac terribilius erit, hoc majorem inibimus gratiam: subit enim cogitatio, quantis sint liberati periculis, & lenocinium est muneri, antecedens metus.* Merito ergo ut vindicem suum & Patrem Patriæ venerabantur, qui hæc ipsa in circuitu fecerat, & facere perseverabat.

Lib. 1. de benef.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTUM.

Vladislai IV. expeditio in Suecos, qui, factis induciis, Borussiam Regi restituunt.

SUMMARIUM.

Origo hujus belli describitur: Sueci ex improviso Borussiam invadunt, & tandem, successibus variis, usque Thorunnium penetrant, quod à Gerhardo Dönhoffio Comite, & Civibus ipsis, insigni virtute defenditur. Tandem sex annorum induciæ factæ: quibus elapsis, Vladislaus Rex victorem exercitum in Borussiam ducit: Pravos militiæ mores corrigit, & disciplinam militarem restituit. Hinc magnum exercitus commodum. Stratagema Regis & industria Gedanensium. Apparatus in Suecos Regius ingens: sed Sueci pacem ambiunt, quam Rex, ob varias rationes, non abnuit. Pacis conditiones. Sueci, quicquid in Borussia possidebant, Regi restituunt. Greiffenclavius Cæsaris nomine Regi congratulatur, & hujus petitiones. Rex, post pacem in comitijs confirmatam, loca à Suecis reddita visitat. Ejus clementia commendatur, quâ omnia bella consummavit.

Recte

Senec. Epist. 29. Origo belli Suecici.

REcte Romanus Philosophus, *cum hac persuasione vivendum est, non sum uni angulo natus.* Vicerat jam Vladislaus Rex, duabus, & à Septentrione, & à Meridie, partibus, & Sarmatiam potentissimorum hostium metu liberaverat. Sed nondum satis judicans uno aut duobus angulis vicisse, in circuitu Sarmatiam liberare decrevit. Restabant autem à Septentrione, ex veterum recentiorumq; annalibus, famosissimi gentium, Sueci, Gothi, Wandali. Hi Vladislao Regi hæreditario jure subditi, sub Carolo Sudermanniæ Duce, à Sigismundo III. gloriosæ memoriæ, Vladislai Regis Patre desciverant: & quia, quæ istius generis sequi solent molimina, timere didicerant, ex omni occasione Poloniæ hostes, ut bellum finibus suis arcerent, ejus Provincias vellicabant, dum alibi occuparetur. Sic Anno 1621. cum in Valachia Sarmatæ Turcarum viribus suas opponerent, Rigam omni conatu adorti, tandem expugnaverunt. Anno 1626 ita subito, è Balthico mari, in continentem, in Borussiam emerserunt, ut apertis munitissima oppida portis caperentur: & ante potior Borussiæ pars Suecica fuit, quam Suecos intrasse Sigismundo Regi nuntiaretur. Inde aliquot annorū tumultus & velitationes, subinde vices variante fortuna. Ad extremum tamen, subdolis artibus, quod nemo un-

mo unquam fore speravisset, usque Thorunnium à Suecis penetratum.

Sueci Thorunnium oppugnāt, quod à Gerhardo Dönhoffio Comite, & Civibus ipsis, insigni virtute defenditur Anno 1629. Mense Febr:

Eo quidem, Anno 1629. Mense Feb: Hermannus Vrangelius, recenti victoria ferox, Suecicarum copiarum nucleum, tanta celeritate rapuit, ut Thorunnienses, nihil minus quam de adventu suo cogitantes, subito occuparet. Quin imo eodem illo tempore, ad visendum reum, extra Urbem laqueo strangulandum, magno numero cives exiverant. Quod ipsum casu in compendium cessit, cum Sueci alium Polonum exercitum suspicarentur. Ut primum autem cives, quos à longe venientes viderant, Suecos esse cognoverunt, præcipiti fuga in Urbem se recepere. Ibi, ex improvisa re, & quia longa pace bello desueverant, consternatio ingens; adeo confusis omnibus, ut salutare nihil, prę- sertim quia miles sufficiens ad manum non erat, plebe insuper tumultuosis vocibus, ut in tali casu fieri solet, Senatum non audiente, in commune consuleretur. Commodum autem Thorunniensibus venerat, quod Gerhardus Comes à Dönhoff, probatus felixque jam antea in Valachia & alibi miles, Urbem paulo ante intrasset. Hic enim, intellecta clade Brodnicensi, maturo judicio suo prę- videns, Thorunnium periclitaturum, proprio motu (quippe cui alias Mevam, Nienburgum, Mariæwer-

riæwerdam, & Kudzinum, copiis ſuis tueri, à Republica commiſſum erat) uno & altero tantum famulo comitatus, die nocteque eo properarat, ut Urbi præſentia & conſiliis ſuis adeſſet. Adeoque, non uno Stratagemate uſus, per ipſas hoſtiles copias, duabus fere, ante Suecorum adventum, horis, feliciter Civitatem intrarat. Nunquam antea magis animadverſum, quantum unius fortiſſimi belli Ducis authoritas & præſentia valeat. Ille enim, Urbe præſenti periculo conſternata, in Curiam ſtatim forumque conceſſit: & Senatum civesque ad concionem vocatos, iis, ut ſuburbia ſua incenderent, potiſſimum ſuaſit; ratus hoſtem, ut evenit, non cervicibus Urbis diu inhæſurum, ſi hyberno tempore & fomenta & receptacula non inveniret. Difficilius erat, ob gravia hinc Civibus emergentia damna, perſuadere: ſed, interveniente quoque Senatus authoritate, qui, juramenti Coronæ præſtiti memor, hoc in periculo (præſertim Johannes Preuſs tunc Proconſul Urbis, cui ejuſdem nominis filius, paternæ virtutis hæres, etiamnum eadem dignitate Civitati laudabiliter præeſt) pro Republica fideliter egit, bono privato Cives publicum prætulerunt. Inde Comes Dönhoffius, hac jam parte ſecurior, oportunis & efficacibus verbis, ad con-

ſtan-

ſtantiam & virtutem, omnes porro animavit, etiam vitam ſuam obſtringens, ſi in hac fidelitate ſua perſeverarent, Suecos Urbe non potituros. Addidit aliud quoque, ad confirmandos civium animos, efficax, callidus belli Dux: ex copiis ſuis nimirum, mille pedites, in ſubſidium mox adfuturos. Sic paulatim ſuus cuique animus, ſua cuiq; præſentia rediit, & apparuit Thorunnienſibus nihil niſi fortem virum defuiſſe qui duceret. Quippe, omnibus à Dönhoffio Comite jam ritè ordinatis, hunc ad prælia præeuntem, alacres in valla ſequebantur. Non horribiles, ab incenſis ſuburbiis, in circuitu flammæ, non à facie hoſtilis impetus, terruere. Et, quamvis tanta eſſet hoſtibus capiundę Urbis fiducia, ut equites, equis ſuis deſilientes, intermixti peditibus, pedeſtres expugnationi incumberent: licet eousq; jam aſcendiſſent ut partes cominus invicem latera foderent: licet portas, S. Catharinæ & Culmenſem, immo ad hanc turrim quoque munitiſſimam expugnaſſent, & ſubinde miſſo tibicine (cui Comes Dönhoffius, ſub pœna mortis, ne reverteretur, tandem interdixit) ad deditionem Cives ſollicitarent; omnia tamen iſta intra virtutem Dönhoffij, & Dönhoffius omnibus hiſce potentior in Thorunnienſium animis erat. Itaque, velut uno momento temporis,

Y * cir-

circumacta fortuna eſt, & hoſtes munitionibus ſuis valloque pulſi, magna clade rejecti ſunt. Adeoque inſigni fortitudine, Gerhardus Comes à Dönhoff, Suecis, jam prædam & ſpolia meditantibus, egregia civium fidelitate fultus, Urbem è manibus quaſi extorſit. Fremuit Hermannus Vrangelius, ſpei irritus, & cum damno receſſit; tantum virtute etiam in hoſte victo valente, ut fortitudinem Dönhoffij Comitis, cognati ſui, non modicè celebraret, ſervatamque Urbem virtute ejusdem confiteretur. Debebat itaque Dönhoffio Reſpublica hac vice Thorunnium, & Thorunnium eidem fortiſſimo Comiti ſuam integritatem: quod quidem, quam diu erit, Dönhoffianæ virtutis illuſtre monumentum perennabit.

Quanta ea victoria fuerit

Quanta, tum temporis, ea victoria fuerit, ex eo metiamur: quod, ſtatim poſt nundinas trium Regum, Polonorum juxta ac Germanorum mercatorum opibus, Urbs eadem, quodammodo prægnans eſſet; adeo quidem ut ſoli Gedanenſes, ſuas tunc in Urbe merces, millionem auri exceſſiſſe, faterentur. Sicut Guſtavus Adolphus, ſi ſuperior evaſiſſet, è ſolis ſpoliis Urbis, triginta millium virorum exercitum alere potuiſſet. Inſuper, quia Thorunnium tunc quodammodo Clavis erat Poloniæ Regni, ſi eo Sueci potiti fuiſſent, difficillime deinde

deinde Boruſſia moveri potuiſſent, et, aperta in uberes terras janua, excurſionibus quotidianis, Majorem Poloniam, Cuiaviam, terram Dobrinenſem, & Mazoviam, nobiliſſimas Coronæ Provincias, pro libitu devaſtaſſent. Quæ omnia Dönhoffiana virtus, & Senatus Civiumque fidelitas, tunc, favente Deo, feliciter avertere. Hoc etiam Fortuna adjecit, quod Sueci, nunquam poſtea eo uſque progreſſi, ſolitis ſe tantum dolis & artibus ſuis porro tuerentur. Quas cum evitare, & virtutem Polonorum vincere, æque difficile eſſet, eodem illo Anno 1629. 26. Sept: ſex annorum induciis arma ſuſpenderunt; ita tamen ut penes Suecìam pleraque maritima oppida perſeverarent. Intellexit interea temporis Polonia incommodum ſuum: & ſibi compedes velut injectos indignata, acriter animum in ultionem acuebat. Et hoc opportuno tempore, cum virtute fortiſſimi Regis ſui, à lateribus aliis, pacem victoriis extorſiſſet, & ſexennio induciarum elapſo, adhuc Romani Imperii viribus Suecia diſtringeretur.

Poſt hanc Sueci, cum Polonis, ſex annorum inducias faciunt, eodē Anno 1629. 26. Sept:

Itaque Vladislaus Rex, initâ prius cum Ferdiando Imperatore armorum ſocietate, illum victorem exercitum, illas victrices Polonas aquilas, quibus tot gentibus leges dederat, à Boryſthene & Tyra, in Boruſſiam circumagebat. In Boruſſiam

Rex Vladislaus exercitum in Boruſſiā cōtra Suecos ducit An: 1635.

am dico, ſuperiori bello, à multis, in vanum forταſſe, ſuſpectam, et, eorum judicio, belli malis, quæ in initio melius excludere potuiſſe videbatur, non indignam. Ut ut ſit. Prudentiſſimus Rex ſuam eam terram, etiam quæ ab hoſte poſſidebatur, judicans, à bellicis calamitatibus, quantum quidem fieri poterat, præſervandam cenſuit. *Is etenim cui curæ ſunt univerſa, quanquam alia magis alia minus tuetur, nullam non Reipublicæ partem tanquam ſui nutrit, inclinatus ad mitiora, etiamſi ex uſu eſt animadvertere: oſtendens quam invitus aſpero remedio manus admoveat, in cujus animo nihil hoſtile, nihil efferum eſt. Qui potentiam ſuam placidè ac ſalutariter exercet, approbare imperia ſua civibus cupiens.* Itaq; pravos militiæ mores corrigendos cenſuit, ne Provinciam illam, à nupero bello nonnihil reſpirantem, & adeo copia rerum omnium alias affluentem, ut Munſterus Jovem è Cœlo caſurum, non aliam lapſu terram occupaturum, judicarit, etiam curando debilitaret.

Sen. lib. 1 de clem.

Et profecto ij, hoc ſæculo, militiæ mores ſunt, quos deplorare meritiſſimo jure quilibet, & maxime qui ſuo damno experiuntur, queat. Et qui alii, quam quos, in imagine captæ Civitatis, Seneca nobis repræſentat? *Omiſſo pudoris rectique reſpectu*, inquit, *vires in conſilio ſunt, velut ſigno ad permiſcenda*

Pravi hodierni militiæ mores.

Lib. 7. de benef.

da omnia dato. Non igni, non ferro abſtinetur. Soluta legibus ſcelera ſunt. Nec religio quidem, quæ inter arma hoſtilia ſupplices texit, ullum impedimentum eſt ruentium in prædam. Hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic ſacra rapit: hic effringit, hic tranſilit, hic non contentus anguſto itinere, ipſa, quibus arcetur, evertit, & in lucrum ruina venit. Hic ſine cæde populatur, hic ſpolia cruenta manu portat. Nemo non fert aliquid ex altero. Hæc, & hiſce ſimilia, Vladiſlaus Rex, etiam in Turcas, Tartaros, Moſcovitas, & extreme Barbaras nationes, pro continentia ſua, ut poterat, præcavebat: ne, poſita paulatim diſciplina, exercitus licentia tali ſylveſceret. Sed in hoſtico victor exercitus non adeo poterat cohiberi: quippe *non ſufficit homo juſtus unus tot armatis cupiditatibus. Non poteſt quiſpiam eodem tempore & bonum Virum, & bonum Ducem agere. Quomodo tot millia hominum inſatiabilia ſatiabuntur? Quid habebunt ſi ſuum quisq; habuerit?*

Sen. lib. 4 de benef.

Diſſimulare ergo nonnihil in alieno Dominio viſum, in Boruſſia vero non item. Quid enim perditurus niſi ſuum? Itaque Rex, rapinas, vaſtationes, incendia, ſtupra, & quicquid militaris licentia præſumere ſolet, ſevere prohibuit, transgreſſoribus cuique ſceleri correſpondentes pœnas ob oculos poſuit: ut, ſi non pudore, non culpa, non virtu-

Rex corruptos militiæ mores corrigit, & novā diſciplinā militarem inſtituit.

virtute, ſaltem animadverſione ſevera, ab illicito moverentur. Immo integræ conſcientiæ viros ad hoc deputavit, ad quos ſubditorum querimoniæ liberè deferrentur, cum plenaria poteſtate, quoſcunque reos comperiſſent, pro arbitrio puniendi. Hæ bellicæ leges, à Vladislao Rege introductæ, ſub nomine *diſciplinæ militaris*, paſſim imprimebantur, & ſtricte obſervabantur. Quippe in hac morum perverſitate deſiderabatur ſolito vehementius aliquid, quod mala inveterata diſcuteret. Ne autem eſſet quod milites quererentur, Commiſſarios ſingulos legionibus ſingulis præpoſuit: qui in tempore illis ſtipendia providerent. Inſuper Tribunos militiæ Belgicæ non ignaros, quibus neceſſarium judicabat, legionibus præfecit, ut diſciplina, ad illius Patriæ mores, conformaretur. Qui utinam in omnibus gentibus obſervarentur, non ita Reſpublicæ variæ, & integra paſſim Regna debilitarentur. Non illas abominabiles in Imperio Romano vaſtitates: pagos, oppida, Regiones deſertas: & ſex, ſeptem, octo, decem milliarium ſpatio, nullum, in agro fertiliſſimo alias, hominem; ſed in domibus, & arcibus deſolatis lupos averſaremur. Interim Belgium octuaginta jam & amplius annis, tot exercitibus, obſidionibus, expeditionibus, præliis, & domeſticis odiis in invicem ſæviens,

ſæviens, non dico adhuc ſpirat, ſed divitiis & deliciis proficit: pagos, arces, & oppida nova ædificat: & in medio bellorum incendio vivit, ſicut Salamandra ſolet in igne.

Hæc Vladislaus Rex in Belgio, & ipſa obſidione Bredana, magna ſua cum gloria, viderat, & nunc in Polonia ſua æmulabatur. Et quanto mox cum fructu! Subditi largius ſua offerebant, quia non auferebantur: & in exercitu Regio erat invenire, quod in publico affluentiſſimæ Urbis foro. Inſuper ſub Suecico jugo viventes, jam Moderatorem ſuum ſuſpirabant: et, affectu à parte in partem translato, ejus Imperium anhelabant, qui, ut Princeps legitimus erat, legitimum ſe Principem terræ, diſciplina oſtendebat. Quin immo & Suecos ipſos hæc anima veræ militiæ terruit: & qui altis è Germanico ſucceſſu animis intumeſcebant, verſa vice, victoriam deſperavere. *Magnus hinc fructus in exercitu.*

At Vladislaus Rex, virtute ſua uſurus, copias & exercitum ſuum in hoſtes porro movebat. Illi autem non fortunæ, non campo ſe committere auſi, paludibus & oppidis ſe continebant. Ne autem, tumultuarie collecto exercitu, beneficio noctis, Viſtulam aut alia flumina tranſmittentes, ut antea ſub Guſtavo ſolebant, vicinis regionibus vaſtitatem inferrent, prudentiſſimus Rex Strategemate *Stratagema Regis & Gedanenſium induſtria*

gemate novo prævidit. In omnibus fluviorum aggeribus, præparata resina & pice vasa, altis, ad instar turrium, stipitibus imponi curavit: ad quæ gradibus, scalarum in modum, cito, nec incommode, ascendebatur. Tum, si qua ex hoste tempestas subita ingruebat, uno, ubi periculum erat, accenso, mox omnia in circuitu vasa accendebantur: & simul flammarum inditio hostis prodebatur; & Regiæ copiæ in subsidium & vindictam ad littora citabantur. Gedanensiũ hac quoque in parte laudabilis industria fuit. Et Regia Urbs, suam in Regiam Majestatem & Rempublicam Polonam fidem, plurimis superiori bello inimicorum dolis, artibus, & promissis, corrumpi nesciam, invicta, ut par erat, animi constantia, novo fervore patefecit. Et Zelum Zelo jugiter addidit, ne eximiam perderet perseverantiæ laudem.

Vladislai bellicus apparat. Insuper Vladislaus Rex (ut ad apparatum ejus bellicum revertamur) non nescius quantum maritima classis ad summam belli valeret, institutam à Serenissimo Parente suo Sigismundo, Anno 1626. Gedani Commissionem navalem (Galli Admiralitè vernacula sua vocant) hoc Anno 1635. in tempore restauravit. Hujus caput (ut & per Prussiam Commissarius Generalis belli-

bellicus) idem qui antea in Thorunnio, contra eosdem Suecos, rem strenue gesserat, Gerhardus Comes à Dönhoff, cum Sigismundo Barone de Guldenstern, Illustrissimæ familiæ viro, constitutus est. Ne vero rem, in Reipublicæ emolumentum prudentissime ordinatam, diffidentia quædam corrumperet, quosdam ex ipsa etiam Civitate Gedanensi, eidem Commissioni adhibuit, quo sincerius procederetur: Itaque collecti passim milites nautici, & parvo temporis spatio, in eventum omnem præparata Classis, militariter instructa natavit. Missæ quoque litteræ universales, ad Capitaneos Balthico mari vicinos, ut de victualibus Classi providerent. Sed & Pucium, Vladislaopolim, Fortalitium Casimirianum, & alia maritima loca, ut ad Vistulam quoque Dersaviam, & propugnaculum Sperlingianum, annona, nitrato pulvere, numeroso præsidio militum, & munitionibus aliis aliisque Rex firmavit. Usus potissimum, hac in re, Johannis Plaitneri, Architecti sui militaris, ingenio: qui ex Belgio nuper, admodum adolescens, ad Regem veniens, successibus semper secundis, ad Smolenscium operam & ingenium suum, supra ætatem, feliciter Regi probaverat; adeoque nunc quoq; oportunus visus, cujus industria Rex porro ute-

ro uteretur. Denique, ut ad propositum redeam, quia periculum prona Vistula timebatur, naves plaustris impositæ, terrestri itinere, infra Gedanum, prope Fortalitium Sperlingianum, vectæ; è quibus, egregia Eliæ Artischevii Tribuni militaris opera fortiter invicem compactis, ponte navali, Vistula subjugata; qui Regiam postea, Vladislao, confectis induciis, transeunte, laudem meruit. Hujus pontis extremitates, Artischevius idem, munitione firmavit: cujus beneficio, elapso aliquoties, cum de induciis postea tractaretur, armstitii tempore, & vario bellico apparatu à præfatis Commissariis Regiis instructus, copiis suis in alteram ripam transibat, & ad angustias, in adversis munitionibus Suecos, identidem redigebat; adeo ut, cum aliquot iterum diebus, integræ jam conficiendæ rei intentus, suspensa arma (quod, subsecutis induciarum tractatibus, sæpius factum) audiret, projecto in terram pileo indignaretur.

Sueci pacem ambiũt, quã ob varias rationes Rex non respuit. Erant itaq; hoc vario apparatu bellico Vladislai Regis, antequam serio bellum inchoaretur, in Borussia Sueci quasi debellati. Adeoq; etiam, saniore consilio usi, cum in eo jam esset, ut stationes & oppida eorum obtuerentur, subito pacem ambivere, iis conditionibus, quales victoriis extorqueri meliores vix potuissent. Quid ergo Vladislaus Rex? Vibrare gladium perseveraret, cum dexteras inimici offerrent? Conditiones aversaretur, cum reddere, quæ superiori bello multo sanguine & sudore parta, & aliquot annorum pertinacia defensa erant, ultro promitterent? Sine sanguine Urbes superbè contemneret, quæ multo sanguine, bello, sumptuque repetebantur? Considerátior & prudentior erat. Et quamvis alii, utendum præsenti fortuna & occasione, suaderent, cum Suecis, adhuc in Germania occupatis, uti se totis non liceret, & Romani Imperii & Polonicæ Reipublicæ viribus simul resistere illis impossibile esset: non posse jam Borussiam tantum, sed Livoniam & Estoniam quoque extorqueri, & Sarmatarum timorem ipsis Sueciæ rupibus finibusque illidi; immo Regnum fortasse integrum, recuperari. Quamvis hæc, inquam, & hisce similia nonnulli suaderent, tamen prudentissimus Rex in alteram partem declinabat: volvi etenim sæpius fortunæ rotam, & magnum detrimentum, in bello præsertim, non semel à parvo incommodo gigni: non virtutis semper Fortunam comitem esse, & eam sæpius fortissimos quoque, cum maxime abblandiri videbatur, quasi in medio cursu deseruisse: Cyrum Tho-

Thomyri Reginæ cum tanto exercitu prædæ & ludibrio fuisse, & Annibalem, sedecim annis Italiæ incubantem, victoremque, cum tot præliis experientiam collegisset, ad extremum in Patria sua victum: Pompeium, cum jam prius vere Magnus esset, cum Senatu & Republica simul occubuisse, & victoris ejus Julij Cęsaris fortunam, cum ad summum pervenisset, ad Mundam in Hispania, contra Pompei filios, vacillasse, & non, nisi per errorem, vitam & victoriam obtinuisse. Quin-imo modernum Imperatorem Ferdinandum Secundum, ab iisdem Suecis non ante prælio fusum, quam Germaniæ prope totius potens fuisset. Nil se supra hominem, nec fortunam in manibus habere; & licet habere videretur, facile elabi posse: *nihil enim firmi habet, qui in incerta propensus est.* Senec. lib. 7. de ben: Et, posito fieri posse quæ ipsi dicerent, Borussiam extorqueri, Livoniam & Estoniam recipi, Sueciam ipsam concuti, tamen quod noceret prius fore: nimio constare quod sine dispendio valetudinis acquiri non posset. Vigorem Provinciarum suarum suum videri: hunc exarescere bello certissimum esse, & antequam Borussia Livoniaque reciperetur, prius fortunis omnibus, quas maxime salvas vellet, iterum spoliatas, perdi oportere: adeoque verissimum esse quod Romanus Sapiens, *nullius*

nullius metus tam gratus est finis, ut non gratior sit solida & inconcussa securitas. Lib. 6. de benef: Prætera bellum ipsum, cum honeste vitari potest, gravissimum Reipublicæ morbum videri: jam autem *nulli dubium esse quin felicior sit inconcussa valetudo, quam ex gravibus morbis & extrema minitantibus, in tutum vi quadam & patientia educta. Non dubium esse quin felicior pax sit nunquam lacessita, quam multo reparata sanguine.* Sen. Epistol. 66. Pacem denique esse, quæ una innumeris triumphis potiatur: & ideo Regem sapientissimum quemque ad illam respicere. Insipientiæ esse, cum citra sanguinem, damnum, & sumptum offeratur, aversari. *Sapientia enim altius sedet, nec manus edocet, animorum magistra est. Vis scire quid illa eruerit, quidve effecerit? Non indecoros corporis motus, nec varios per tubam ac tibiam cantus, quibus exceptus spiritus, aut in exitu, aut in transitu formatur in vocem: non arma, nec muros, nec tela. Utilia molitur, paci favet; & genus humanum ad concordiam vocat.* Senec. Epist. 90.

Assensit ergo, optimis rationibus ductus, Suecorum propensioni Vladislaus Rex, & prudentissimis aliquot viris, ab utraq; parte, ad formandos pacis, seu induciarum, articulos, designatis, tribus potissimum iis, Stumsdorffii, Anno 1635. 2. Sept. stylo veteri, convenit. Conditiones induciarū Anno 1635. 2. Sept. Stylo veteri.

I. Ut viginti sex annorum, hoc est ab anno, quo hæc agebantur, 1635. Mense Sept: usque ad primam Julij, stylo veteri, Anni 1661. induciæ essent, & interea temporis de perpetua pace tractaretur.

II. Pars utraque in Livonia, sicut præteritis sexennalibus induciis possederat, ita hisce induciis quoq; possideret.

III. Ut quicquid in Borussia Sueci bello superiori invaserant, & durantibus sex annorum induciis huc usq; possederant, deductis sine incolarum damno præsidiis, ita omnia & integra Poloniæ Regno restituerent, ut ne munitiones & fortalitia quidem, præsertim quæ Elbingæ, & circa Elbingam, durante hoc bello extruxerant, demolirentur.

Hisce feliciter conclusis, Nigram Aquilam Polonæ Reipublicæ Sueci, restituere. Hanc navim bellicam, nondum elapsis induciarum terminis, in statione Gedani, secundum in Daniam ventum præstolantem, integra Classe advenientes Sueci, Anno 1635. 14. Julij, interceperant; eo titulo, quod non regia, sed Hevelij Civis Gedanensis esset, qui variis eos in rebus, ut ajebant, irritasset. Et licet Regiam esse variis rationibus demonstraretur, tamen hucusque, variis artibus, restitutionem distulerant. Nunc autem, factis viginti sex Annorum induciis, Vladislaus Rex, traditis

Nigram Aquilam Sueci restituunt. 20. Sept.

ditis Johanni Heppen & Petro Scatoni Secretariis suis, Jacobi de la Garde Suecorum Generalis, litteris, ad Suecicæ Classis Admiralem misit: quibus lectis, Admiralis quidem, 20. Sept: navim restituit, sed ea conditione, ne insigniis Regni Suecici, quam diu in Classe Suecica essent, uterentur. Itaque præfati illi Secretarii Regii, in ipsa Classe quidem, abstinuerunt. Ut primum autem, deserta Classe, in altum vela fecere, pro suo in Regiam Majestatem Zelo, insignia statim reposuere: & sub vesperam, insigniis Suecicis superne pendulis, in Classem Suecicam, & exinde Gedanum revertere. Sed hoc Nigræ Aquilæ imminentis mali erat breve solatium, paulo post enim, in Hispanias, vela factura, adhuc in mari Balthico naufragio periit.

Cæterum (ut ad summam rei revertar) postquam, in subsecutis eodem Anno Mense Novembri Comitiis, à Vladislao Rege & Polona Republica conditiones ratificatæ & confirmatæ fuere, quicquid in Borussia possidebant, bona fide Sueci restituere. Ita iterum sola ostentatione armorum Vladislai Regis, citra unius militis jacturam, potior Borussiæ pars liberata. Elbinga cum pristino ejus territorio atque Insula minore, & munimentis ibi exstructis, recepta: Pillavia & ea Neringiæ pars, quæ ad eam spectat, recuperata. Mariæburgum,

Quicquid in Borussia Sueci tenebant bona fide Reipubl. Polonæ restituunt.

gum, cum Insula majore, Poloniæ restitutum. Stuma, Brunsberga, ac Tolkmitum, cum eorum territoriis omnibus, Sarmatiæ, à qua male divisa hucusque fuerant, reunita. Hauptum vero & Junkerthalium, quia oportuna non videbantur, solo æquata. Quid amplius? Liberata ingenti metu damnoq; Provincia, quæ à gravissima exercituum in invicem collisione, suam tantum comminutionem certo certius, nisi hæ induciæ quasi Cœlo missæ intervenissent, imminentem abominabatur. Quemadmodum enim molarium lapidum collisione, frumentum solummodo in medio fusum comminuitur, nihil in invicem alias nisi calorem, sordes, & pulverem ipsa sui collisione generaturi; ita miserorum subditorum substantia, exercituum, collisioni media, tantum comminuitur: nihil in invicem alias collecturi, nisi enerves iras, sordidum & inane odium, & infinitum pulverem calamitatum. Hoc ut præcaverat prudentia sua Vladislaus Rex, ita alio beneficio, Balthicum quoque mare littoribus, & littora Poloniæ Regno restituit. Soluti compedes dolosi hostis, & Sarmatiæ portubus liberum, cum toto terrarum Orbe, negotiationis exercitium procuratum. Novis pagis & arcibus Provincia exornata, novis colonis pagi & arces instructæ. Et omnibus aureæ pacis commodis

modis Borussia paulatim iterum sibi reddita, cæpit tandem, obductis calamitatum cicatricibus, pristinæ integritatis felicitatisque suæ faciem agnoscere.

Legatus Cæsaris Vladislao Regi, Cæsaris nomine, cõgratulatur: hujus petitiones, & laus.

Quapropter gemina obligatione Vladislao Regi, tanquam Domino & benefactori obstricta, eundem jugi encomio celebrabat. Nec Borussia tantum, sed pleraque Europæ Regna, hanc incruentam de hostibus suis victoriam, pacem, & libertatem Borussiæ postliminio restitutam Vladislao Regi congratulabantur. Quin imo & ipsum Sacratissimum Imperatorem Ferdinandum II. Vladislai Regis admiranda felicitas in congratulatorias voces rapuit. Et quamvis transactio hæc, inter Poloniam & Sueciam subsecuta, non mediocre damnum rebus Imperialibus generaret (quoniam, ut supra insinuatum est, inter Rempublicam Polonam & Cæsariam Majestatem contra Suecos, in eventum belli, de armorum conjunctione convenerat: neque Suecis Germanicæ & Polonicæ potentiæ simul resistere possibile fuisset; qui tractatus pacis ab Imperatoria Majestate Principi Electori Saxoniæ tanquam delegato commissos, callide in aliquot menses protraxerant, ut exitum tractatus Prussici viderent, & ex illo res suas in Germania metirentur) nihilominus tamen Cæsar Vladislai

dislai Regis nepotis sui erga Polonam Rempublicam summa merita, & famam non belli tantum, sed etiam felicissimę hujus pacis gloria sublimem, publica voce deprædicandam censuit: & per Consiliarium suum Appellationum Bohemicarum ac Prolegatum in aula Regia Poloniæ Residentem, Alexandrum à Greiffenclaw, Regi & Reipublicæ, de tam incruenta victoria, de rarissima illa felicitate, & gloriosissima pace, sive induciis cum Suecia initis, congratulatus est: atque id tantum simul requisivit, ne ea pax fœderibus & pactis Polonicis, cum Augustissima Domo Austriaca sancitis, & à longo tempore religiose servatis, aliquo detrimento esset. Ille igitur Greiffenclavius, Mense Novembri, Comitiis iis, quibus pax illa confirmabatur, coram Rege & Senatu, multa ad hanc rem pertinentia solenniter & diserte locutus, non tantum optimum responsum, sed etiam dexteritatis & eloquentiæ præclaram laudem obtinuit, Cæsari ipsi per litteras Regias contestatam. Juvenis multifaria doctrina, maturo judicio, & experientiæ singularis; cognitione etiam præcipuarum totius Europæ (quam totam fere peragravit) linguarum, & equestribus exercitiis insignis: prudentia vero ferventique in Cæsarem obsequiorum fide, & rebus gestis Imperio & Polonico Regno notissimus:

simus: qui non Paternam tantum, sed etiam maternam Truksesiorum à Reinfelden prosapiam, (quorum utraque vetusta nobilitate, & summis in Imperio dignitatibus, jam pridem excelluit) sua virtute non tantum sectatus est, sed multis etiam modis exornavit.

Cæterum, ut ad Vladislaum Regem (qui Greiffenclavium hunc in Cubicularium suum deinde, virtute tractus, legit) revertar; hic, post Comitia, in Prussiam deinde, ut Urbes & Oppida ab hoste reddita coram intueretur, & pręsentia sua bearet, profectus est. Et per Mevam, Mariæburgum, Pucium quoque deflexit, ut nihil ad Balthicum mare non lustratum relinqueret; cujus sinus, Isthmos, freta, portus, & Insulas, in futurum providus, scrutari voluit; ut in quibus superiori bello peccatum, quæ fieri oportuisset, ubi propugnacula hosti, ubi munitiones, ubi bellicæ naves (quarum magnam nimis in Polonia sua penuriam prudentissimus Rex animadvertebat) objiciendæ fuissent. Et profecto hoc unum Poloniæ deesse semper prudentissimi quique judicaverunt & admirati fuere. Nullum enim Regnum est quod facilius classem extruere possit, & minus extruit. Ligna ipsa, resinam, picem, & alia omnia ad ædificandas naves requisita, toti Europæ communicat;

Rex loca varia, & præsertim à Suecis reddita, visitat.

ipsa negligit: & interim classibus inimicorum obnoxia, suis impugnata materiis, nudum ad invasiones, vastationes, vellicationesque, latus præbet. Cæterum (ut prudentioribus illa relinquamus) in itinere illud celebre quoque Olivense, Ordinis Cisterciensis, Monasterium, quod multum etiam hoc bello Suecico passum fuerat, vidit: immo & hoc gratiæ fecit ut pernoctaret. Ibi panem olim in lapidem versum, nitidissimi templi altaria, & ornamenta, artificiosissima manu acupicta, videns, locum illum suspexit, in quo, gloriosæ memoriæ, Parens ejus Sigismundus III. primo ex Suecia in Poloniam veniens, à Reipublicæ Polonæ Magnatibus, juramentum fidelitatis accepit. Hoc Monasterium à Pomeraniæ (aut Pomerelliæ potius) Ducibus, amœnissimo loco, inter mare & montium fauces medio, ab Hussitis, tumultu Gedanensi, & casibus aliis non semel exustum, dirutum, spoliatum, tamen in melius semper, magna providentia & gratia Dei, resurrexit: Et variis, à variis Principibus Regibusque, Privilegiis dotatum, etiam sub Davide Konarski, instante gloriosæ memoriæ Sigismundo III. Vladislai Regis Patre, Infula à summo Pontifice Clemente VIII. decoratum. Qua subsequentes Abbates, Adamus Trebnitz sanctissimæ vitæ Præsul, Johannes & Alexan-

lexander Grabinscii, Germani fratres, integerrimi & omni virtutum genere Ornatissimi viri, & modernus Michaël Konarski, supra memorati Davidis Konarski Patruelis, prudentissimus Abbas, ex Illustrissima Germanorum Comitum von Schlesen familia oriundus, adhuc feliciter utitur, & omnes porro successores, per gratiam Dei, usuri sunt. Hujus quoq; Monasterii Filius, ille non uno nomine Reverendissimus, Leonardus Rembowski est, Abbas Polplinensis, & Commissarius Cistercinensis Ordinis, per Poloniam, Generalis, non semel confirmatus. Cujus viri laudes juste prosequi, rei series non permittit.

Hoc famosum Monasterium ergo postquam Vladislaus Rex perlustrasset, & nocturna quiete præsentiaque sua decorasset, Regiam illam Urbem Gedanum, Emporium totius Balthici maris, & tot Regnorum in circuitu, celeberrimum, intravit. *Gedanũ intrat.* Qua ibi pompa, magnificentia, quo honore exceptus fuerit: quomodo distincti in cohortes & vexilla cives obviam in campos exiverint: quibus, & quam compositis in miram humanitatis speciem, verbis, Magnæ Urbis Laudatissimi Consules, fidelium subditorum obsequia suo Regi detulerint, impossibile dictu est. Sed facile quilibet judicaverit, qui incolarum

 geni-

genium, integerrimi prudentissimique Senatus candorem, & fidelissimæ Urbis erga legitimos Dominos reverentiam & Zelum, minime ad præsentiam Regis otiosum, novit.

Postquam ergo desiderio officiosissimæ Urbis diebus aliquot præsentiam suam Rex Vladislaus indulsisset, Elbingam & ad alia loca porro perrexit: omnibus ubique in occursum passim effusis, cum vindicis Publicæ libertatis faciem omnes anhelarent. Præsertim cum nullius injuriæ memorem cognovissent, ut qui clementiam, tot injuriis hostium, quos vicerat, lacessitam, incorruptam tamen, etiam in malis subditis, perseverantem, nullius sanguine contaminaret.

Elbingã quoque.

Et profecto multos rara clementia Regis in admirationem rapuit. Licet enim variis in locis multos perfidiæ suspectos, multos palam reos, et, tempore belli, in exitium Reipublicæ sedulos, comperisset, tamen omnibus pepercit; quo magnitudinem animi sui, nec pace, nec bello, nec in hostibus, nec in subditis, ad vilissimam ultionem degenerantem, ostenderet. Quippe *nullum est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo instigeris, accidere. Pars superior Mundi & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem: omni tumultu caret, inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus quietus semper, & in statione tranquilla collocatus, intra se premens quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est & compositus.*

Miracle-mentia Regis, qua omnia bella consũmavit.

Sen. lib. 3 de ira.

Nec ego ullam aliam ob rationem Regibus Serenissimi titulum, ab initio, consensum hominum aut attribuisse, aut etiam illos admisisse crediderim, quam ut nullis magis quam Regibus jugem Serenitatem (procul ab inferiorum hominum alternantibus quotidie nebulis, pluvia, serenitate, & mox iterum nubibus) competere recordarentur. *Quia æquius est hominem hominibus præpositum miti animo exercere Imperium, & cogitare, utrum Mundi status gratior oculis pulchriorque sit sereno ac puro die, an cum frigoribus crebris omnia quatiuntur, atque ignes hinc atque illinc micant. Atqui non alia facies est quieti moderatique Imperii, quam sereni Cœli & nitentis.* Itaq; Vladislaus Rex, hac quoq; parte Regum Serenissimus, nulla publicam lætitiam tristitiæ nube corrupit. Et postquam omnia perlustrasset, & quædam etiam, quæ fieri vellet, ordinasset, illibatum & victoris, & pacatoris, & clementiæ, & Patris Patriæ nomen in Poloniam retulit. Maximus & felicissimus, meo judicio, Regum: qui, duorum Annorum spatio, omnes & potentissimos Poloniæ hostes gloriosissime vicit, felicissime pacem restituit, & dilatatis alibi, alibi restitutis Regni terminis, omnia in circuitu bella clementia consummavit.

Sen. lib. 1 de clem:

GE-

GESTORUM VLADISLAI IV.

PARTIS SECVNDÆ LIBER TERTIUS.

CAPVT PRIMVM.

ARGUMENTUM.

VLADISLAUS IV. Regnum suum visitat, & Vilnæ, annulum, proprio digito suo detractum, Laureæ Doctorali Mathiæ Casimiri Sarbievij inserit.

SUMMARIUM.

Vladislaus Rex, post bella omnia, pacis commodis Sarmatiam beaturus, ad morem Monarcharum prope omnium, Regnum suum visitat. Inter alia autem bona Reipublicæ communicata, non minimum fuit, quod doctis viris exhibuit. Adeoque Vilnæ cum Serenissima sorore Anna Catharina Constantia, Nuntio Apostolico, & pluribus Senatoribus, Academiam ingressus, Doctissimum virum, scriptisque libris famosissimum Mathiam Casimirum Sarbievium, Societatis Jesu, publice pro Doctorali Laurea assumentem, audit. Dum vero insignia doctoralia ei conferuntur, ipse Rex, annulum digito suo detrahit, & Laureæ ipsius Doctorali inserit. Hunc honorem docto uni exhibitum ad omnes pertinere. Reges & Imperatores varij adducuntur, qui litteris & litteratis honorem exhibuere, neminem autem ad favorem hujus Regis pervenisse. Sperandum vigorem litterarum tanto Patrono & fautore; quibus fatum imminere frustra aliqui doluerunt. Tandem Sapientibus, aureo seculo, Regibus, Vladislaus comparatur.

MOre Imperatoribus Regibusque Magnis inveteratum est, nonnunquam è loco in locum, ex Provincia in Provinciam, ex aula in aulam migrare. Ita veteres Romani Imperatores Romæ sæpius, Mediolani sæpe, aliquando etiã, Alpes transgressi, Treveris commorabantur. Ita Persarum Reges, & Susis, & Persepoli, & in Babylone, & in Ecbatanis, certis temporibus anni versabantur. Carolus Magnus, præaliis Galliæ locis, Ingelhemium ubi natus erat, Aquisgranum ubi mortuus est, & Noviomagum ad Vahalim frequentabat. Moderni Galliæ Reges, præter Lutetiam Parisiorum, S. Germani, & Fontisbellaquæi delicias amant. Poloniæ Reges nonnunquam aulam suam Cracoviam

Monarchæ sæpe aulas suas transferunt.

viam, Warſaviam, & Vilnam transferunt. Et moderni Cæſares Poſonium, Pragam, Lintzium, & Viennam, per otium & occaſionem, migrant.

Fecerunt autem & faciunt hoc magni Imperatores Regesque non ſine ratione. Præterquam enim quod ſubinde novitatibus animum, à maximis Imperij curis reficiant, ſuadent etiam prudentiſſimi viri propter utilitatem. Hinc Suetonius, *ut vitato aſſiduitatis faſtidio, auctoritatem abſentia tueare*: quæ dubio procul jugi præſentia minueretur. Quippe *continuus aſpectus* (ut Livii verbis utar) *minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit*. Addit Politicorum Princeps Cornelius Tacitus, quia *& Majeſtati major ex longinquo reverentia eſt*. Aliud etiam inde emolumentum, non Principum quidem, ſed ſubditorum emergit: quos præſentia Principum (præſertim ſi boni ſunt) inſtar ſolis recreat afficitque. Quemadmodum enim clariſſimum hoc diei Sidus, quocunq; radiis ſuis pertingit, & ſerenitatem, calorem, & vigorem, & fertilitatem inducit; ita Principes, Imperiorum Regnorumque ſuorum Soles, quemcunque locum præſentia ſua luſtrarint, & lætitia, & vigore, & obſervantia legum, et, nunquam ſine fructu, aureæ pacis felicitate beant. Tolluntur Magnatum, ſemper in ſubditorum perniciem, diſcordiæ: redeunt in

Rationes quare.

De Cæſar.

Lib. 35.

Lib. 1. Annal.

in gratiam inimici: eradicantur diſſidiorum fibræ: dirimuntur partium longa pertinatia fotæ lites: et, velut aureo Mercurii thyrſo, in complexum mutuum ſerpentes provocantur. Verbo. Ita Provinciam, quamcunque ingrediuntur, præſentia ſua bonis omnibus ſatiant nutriuntq;, ſicut *oculus Domini ſaginat equum*.

Hos magnos itaq; Imperatores Regesq; Vladislaus Rex imitatus, propter noviſſimam potiſſimum rationem, Warſavia Vilnam proficiſci decrevit, ut, cum ſubditos, ab omni bellorum metu liberatos, innumeris aureæ pacis commodis locupletaſſet, nunc per otium præſentiæ ſuæ emolumentis bearet. Itaque, cum poſt inducias cum Suecia factas Boruſſiā & alia Poloniæ loca peragraſſet, & aliquo jam tempore in Mazovia Warſaviā habitaſſet, An. 1636. cum Sereniſſima ſorore Anna Catharina Conſtantia, & Senatorib⁹ variis, Vilnam in Lithuaniā quoq; profectus eſt: et, victis longinqui itineris difficultatibus, poſt aliquot tandem ſeptimanas, feliciter appulit. Quomodo autem à Magna illa Magni illius Ducatus Metropoli exceptus fuerit: quibus cæremoniis introductus: quibus arcubus triumphalibus honoratus: quibus deniq; orationibus ſalutatus, quoniam ad alias, extra Poloniæ Regnum, nationes fama ſparſit, ſuperſedeo

Vladislaus Rex Vilnam ſe confert.

 dicere,

dicere,& me ad illa accingo potissimum, quæ oculis totius Mundi, & æternitate dignissima, ibi Vladislaus gessit.

Inter omnia alia autem nihil præclarius, ad exemplum Principum hujus ævi efficacius, & honorem eruditorum virorum luculentius fuit, quã quod liberalibus disciplinis exhibuit, & ostendit æque sese Musarum, quam Martis & Bellonæ, consortio delectari: immo post arma & pacem, nihil adeo, quam litteras & viros litteratos amare. Habebat in familia sua continuo, præter alios viros doctissimos, Matthiam Casimirum Sarbievium, virum divinis humanisque litteris docendis versatissimum, Poësi vero ita eminentem, ut & à summo Pontifice Urbano VIII. Laurea donatus fuerit, & à toto terrarum Orbe, non suppar tantum Horatio, sed par, & superior etiam, passim judicaretur. Adeo profecto, superstes licet adhuc, invidiam omnem supergressus, ut in Gymnasiis quoque opera ejus, publicè juventuti prælegerentur. Hunc è Societate Jesu (ex qua, & Illustrissimæ familiæ virum, quæ varios Senatores, & quasi Reipublicæ fulcra, Regno genuit, Stanislaum Pstrokonski, doctrina, scientia, & sacrarum litterarum peritia singularem, Confessarium habet) Vladislaus Rex in Concionatorem suum legit. Hanc enim Societatem,

Ejꝰ amor erga litteras.

tatem, sicut pleriq; Christiani Principes, ob doctrinam, vitam inculpatam, & fidei promovendæ Zelum, arcte complectitur. Licet multi ex vulgo viri, livore magis & differentia vitæ quam ratione ducti, nonnunquam minus candide traducant. Sed recte Seneca: *Quis potest placere populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis favor quæritur: similem te illis facias oportet. Non probabunt, nisi cognoverint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest.* Cæterum [ut ad rem revertar] Vladislaus Rex, hunc doctissimum virum, jam antea, ut dixi, in concionatorem suum legerat, cum & integerrimæ vitæ, & ejusmodi comperisset, qui salutaria potius quam placita propinaret, & cui conscientiam & animæ suæ salutem tuto concrederet. Secutus in hoc consilium Sapientis Latini. *Eligamus non eos,* inquit, *qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos volvunt, & in privato circulantur: sed eos qui vita docent, qui, cum dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent quid vitandum sit, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adjutorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris.*

Epist. 29.

Senec. Epist. 52.

Cum ergo hunc prudentissimus Rex sibi in

 Patrem

Annulum digito suo detrahit, & Laureæ Doctorali P. Sarbievij inserit Anno 1636. 3. Non: Iul:

Patrem quodammodo adoptasset, & profundam ejus doctrinam quotidie magis & magis adverteret, virum tot gentium linguis celebratum, & à Summo Pontifice Laurea jam ante donatum, summa Sacrosanctæ Theologiæ Laurea pariter exornandum duxit; ne minus quam Pontifex & terrarum Orbis, Concionatorem suum facere videretur. Quid ergo? Ipse Rex ad fastigium illud virum dignissimum exhortatus est, non ausum Regi suo in regio hoc favore resistere. Sed rem ipsam ex monumento gratæ testificationis, super hac ipsa re, ab eloquentissimo viro P. Johanne Rywocki, in eadem Academia Vilsnensi Sacræ Scripturæ Professore Ordinario, qui Cæremoniæ huic interfuit, audiamus. *Sublatis omni ex parte hostibus, & Regno ad sensum pacis composito, cæpit Vladislaus IV. Poloniæ & Sueciæ Rex invictissimus pacis commoda suarum felicitati terrarum impertiri. Non minima inter cæteras curas fuit industria, qua se liberalibus disciplinis impendit: quas certū est efflorescere magis, cum viri eruditi ad æstimationem cæteris porriguntur. Pervenit hæc quoque dignatio ad Vilnensem Societatis Jesu Academiam; quam ut tanto amplius eveheret, Reverendum Patrem Matthiam Casimirum Sarbievium è Societate Jesu, Concionatorem suum, ac Theologum, virum diu in docendis divi-*

nis hu-

nis humanisque litteris versatum, & libris impressis Orbi notissimum, Laurea Theologica exornavit. Adijt ea de causa 3. Non: Jul: Anno 1636. *sacram D. Johannis ædem, principem Academiæ locum; & sublimi solio effultus, se ac Serenissima sorore Anna Catharina Constantia præsente, celebritatem de more peragi voluit. Aderat & Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. Marius Philonardus Archiepiscopus Avenionensis, in hoc amplissimo Regno Nuncius Apostolicus, & magna Illustrissimorum Senatorum ac Procerum corona. Ibi primum à Magistratu Academico insigne Universitatis ad pedes S. R. Majestatis depositum est, in signum subjectionis: jussum deinde Regio nutu erigi, in testimonium concessæ approbatæque literariæ potestatis. Disputatum tandem à Doctoribus, & usitata candidatis specimina præmissa. Postquam eo ventum est, ut Promotor Reverendus Pater Jacobus Lachowski Societatis Jesu in Lithuania Præpositus Provincialis, insignia Laureæ Theologicæ conferret, Serenissimus Rex Annulum suo digito detraxit: quem perillustris ac Admodum Reverendus Dominus Johannes Gembicki in Regno Poloniæ Cancellariæ Majoris tunc Regens, eleganti, & fida favoris Regij interprete oratione porrexit, ut hoc singulari, non tantum munere, sed & Privilegio Reverendus Pater Candidatus inter Doctores transiret.*

Eximia

Eximia hæc dignatio Vladislai Regis fuit: quæ uni Sarbievio quidem exhibita, in totum genus litteratorum transiit. Quippe *quando unum quempiam honore afficio, de universis bene promereor. Nullum namq; beneficium cum ratione & judicio datum, illius tantum fit, qui id accipit; sed omnibus in universum, tanquam præmium similium laborum proponitur.* Verumenimvero non potuisset prudentissimus Rex meliori Symbolo amorem suum erga litteras declarare; adeo ut hac parte omnium Imperatorum Regumque, in simili causa, munificentiam vicerit. Licet enim Alexander Magnus Aristoteli centena aliquot talenta donarit: licet Scipio Africanus tam elegans liberalium studiorum omnisq; doctrinæ & admirator & fautor fuerit, ut Polybium Panætiumq;, præcellentes ingenio viros, domi militiæq; secum haberet, & quotidianis muneribus locupletaret: licet Pompeius Magnus, hac quoq; parte se ipso non minor, à Mithridatico bello reversus, Rhodis fasces in auditorium submissos intulerit, Philosophos differentes audiverit, singulis talentum dederit, & Theophanum Mitylenæum, quem secum semper habebat, in publica militum concione Civitate donarit: licet Augustus Horatium prædiis, villis, servis ditaverit; immo & Vespasianus, Antoninus Pius, Alexander Severus, Caracalla, & Diocletianus, quamvis partim avari, partim impii pessimique, in hac tamen parte liberales fuerint: licet denique, ex recentioribus, Carolus Quintus & Sigismundus Imperatores, Doctorum eximii fautores extiterint, quos Nobilibus quoq; præferrent; tamen nullus eorum, hanc Invictissim Vladislai Regis erga litteras dignationem æquavit. Adjudicent enim alii præferentiam loci, quam tamē alii, in litteras & litteratos obliqui, superbe rapiant. Alii Civitate Romana donent, qua tot centena millia sceleratorum fruebantur. Alii etiā, dextera in pecuniæ thesaurum mersa, talenta annumerent, quorum centena etiam indignis projiciebant. At hic paulò ante Moschorum triumphator, Turcarum victor, Tartarorum cōcisor, Suecorum & hostium suorum terror, è pulvere bellico ad Academicum transiens,

Edita doctrinæ Sapientum templa serena,

Vladislaus ingreditur, Serenissimam Sororem Annam Catharinam Constantiam, & tot Senatores Proceresq; secum trahens; ut quod exhibiturus erga litteras beneficium erat, & exemplum æterna memoria dignum, latius spargeretur, & omnis eruditionis reverentiam Reipublicæ universæ incuteret. Quid amplius? Inter Doctores

Constantius Imp: Or: de Them:

ctores sedet, qui paulo ante fortunæ casibus, & hostibus suis immersus, adversariorum latera fodiebat. Disputationes, argumenta, Sylogismos, & docta Sophismata audit, qui, à bello recens, armorum strepitu, tormentorum fragoribus, apertis præliis, & Stratagematibus, à juventute assueverat. Et tandem non talenta, aut alia his similia, quibus avaritiam irritaret, obtulit: sed annulum (quem nonnulli coronam cordis, quod venarum ad cor ipsum excurrentium capita in digito coronet, nominavere) articulo manus detraxit, ut Sapientiam diademate cingeret. Digitos Regios spoliavit, ut eruditissimi viri condecoraret. Ornatum levæ minuit, ut Doctorum numerus augeretur. Merito ergo Augusto Vladislaus Augustior, & Magnis, Alexandro & Pompeio, major: qui tot gradibus altius, in litteris cohonestandis, ascendit, quot annis posterior venit.

In vanum itaq; nunc interitum mihi litteris illi minati videntur: quas jam vibrari, sicut corpora instante morbo: jam temporum malitia aut ferocia meliores illas omnes mitioresq; Musas à nobis abire dixerunt. Vivunt, vigent, & vigebunt literæ, quam diu potentissimi & invictissimi Reges, in pretio illas habentes, tam illu-

stri-

stribus signis venerabuntur: quam diu Principes manu, qua sceptra tenent, membranas non dedignabuntur; & Majestate, qua Regna & Imperia moderantur, eruditionem & eruditos fovebunt: Verbo: quam diu Vladislai erunt. Siquidū,

Sint Mœcenates, deerunt non Flacce Marones.

In exemplum se modo posteris, & Regibus terrarū Orbis, Vladislaus posuit: nec deerunt, ut spero, qui imitentur, qui eruditionē manu teneant, si uberes doctrinæ fructus volunt; qui indubie, ad summam Regnorum felicitatem, sub hisce talibusque patronis, jugitur germinabunt maturescentq;. Sentit & experitur fortunata tanto Rege Polonia: quo præeunte, ad omnis eruditionis adita, felicissime sequitur; adeo ut plurimis & doctissimis modo viris abundet, quibus nescio an aliquod Europæ Regnum pares habeat.

Jam vero reliqua, quæ ex tanti Regis præsentia, prudentia, & dispositione orta, in Lithuania & in Sarmatia omni porro fuerūt, facile quilibet judicaverit, qui Sapientissimorū Regum Imperia cōsideraverit. Prorsus eadē enim fuerunt, & prorsus idem Vladislaus fuit, quod aureo seculo Reges, cum Philosophi imperarent. *Hi* (ut Posidonius apud Senecam ait) *continebant manus, & infirmiores à potentioribus tuebantur, suadebant dissuadebant-* Epist. 90.

debant-

debantque, & utilia atque inutilia monstrabant. Horum providentia ne quid deesset suis providebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat ornabatque subjectos, officium erat imperare, non Regnum. Nemo quantum posset adversus eos experiebatur, per quos cœperat posse. Nec erat cuiquam aut animus in injuriam, aut causa; cum bene imperanti bene pareretur. Eadem hoc Sapientissimo Rege Sarmatiæ facies, idem Vladislaus Sarmatiæ suæ Rex: qui quidem, quam diu vixerit (utinam ad Nestoreos annos) aurei seculi felicitas in Sarmatia perseverabit.

CAPVT SECVNDVM.

ARGUMENTUM.

Connubium VLADISLAI IV. & Serenissimæ Reginæ Cæciliæ Renatæ Austriacæ: Hujus coronatio, & Principis Sigismundi Casimiri Nativitas.

SUMMARIUM.

Vladislaus IV. per Ossolinium Principem, Ferdinandi II. consensu privatim impetrato, & obtenta dispensatione à Summo Pontifice, Principem Johannem Casimirum, Respublica Polona vero, Johannem Lipski Culmensem Episcopum, & Comitem Casparum Dönhoffium Palatinum Siradiensem, Viennam mittunt. Horum solennis ingressus Viennam, & Culmensis Episcopi ad Ferdinandum Tertium Oratio, qua Cæciliam Renatam Austriacam Vladislao IV. Poloniarum & Sueciæ Regi in connubium solenniter deposcit: Ejusdem Oratio, qua Cæciliam Renatam Austriacam, jam designatam Vladislai Regis Sponsam, & Poloniarum Reginam, ejusdem Regis nomine salutat. Archidux Claudia Oeniponto Viennam venit: qua excepta, Serenissima Sponsa Cæcilia Renata Austriaca, Johanni Casimiro Principi, Vladislai IV. Personam

repræsentanti, solenniter copulatur. Imperatrix Vidua, ex Styria Viennam venit: qua ab omnibus salutata & valedicta, Serenissima Sponsa, Archiduce Claudia, Principe Casimiro, Georgio Traschowicio Jaurinensi Episcopo, & Reipublicæ Polonæ Legatis, comitantibus, in Poloniam proficiscitur: in cujus primis limitibus à Magnatibus Polonis excepta, maxima solennitate, Cracoviā primo, inde Warsaviam ingreditur. De novo Vladislao Regi solēniter copulata, in Poloniarū Reginā coronatur; & sumptuosissima spectacula, à Vladislao Rege, in hujus solennitatis honorem, instituuntur. Tandem, omnibus rara munificentia Regaliter à Vladislao Rege donatis, Serenissima Archidux Claudia ad Imperatorem, & Oenipontū revertitur. Interim Regina Cæcilia Renata concipit, & Principem Sigismundum Casimirum feliciter enititur: Hic solenniter baptizatur, & votum longæ vitæ Regiæ.

UNum porro adhuc ad solidam Poloniæ felicitatem deerat, digna tanto, tanti Regis, fastigio Conjunx, quæ in consortem dignitatis assumpta, Augustam deinde Prole Regia stiparet Domum; cujus beneficio, cum jam, quo ad naturalia, vivere Vladislaus desiisset, in multa porro secula superesset, immo etiam, si ita visum Superis, imperaret. Itaque cum is Vladislaus Orbi, & is Vladislao

Rex Vladislaus Cæciliā Renatā Austriacā in connubiū respicit.

dislao Orbis esset, ut Regio suo thoro dignissimam, è pluribus dignis, posse legere videretur, non alibi tamen, quam in Augustissima Domo Austriaca, individuam vitæ sociam quærendam censuit. Ad hanc non affectu aut cognatione tantum, sed rationibus variis validisq; tractus. Et primo quidem, propter avitæ Catholicæ Religionis studium, utriq; Domui Cęsareæ & Regali communē. Deinde, quia omni exceptione nobilissima totius Orbis, felix Imperatorum Monarcharumque, ultra Solis Oceanique vias quodammodo imperantium, procreatrix. Denique, ob mutua Romani Imperii & Polonæ Reipublicæ fœdera, amicitiam, vicinitatem: quæ hoc matrimonio firmius stabilirentur. Est enim, simul cum Regibus, Regnorum quoddam connubium, quod una cum matrimonij vinculo coalescit. Et amaverunt hanc mutuam, ab antiquo, vicina sibi Imperia, conjunctionem, crebris Principum Regumque connubiis confirmari. Sic Austriacas, Elisabetham Casimiri III. Elisabetham alteram & Catharinā Sigismundi Augusti, Annam & Constantiam Sigismundi III. summo utriusq; Reipublicæ cū applausu, Poloniæ Reginas legim⁹.

Hos Reges secutus Vladislaus IV. qui ex his, non minori utriusque Imperii cum assensu & voluptate, Serenissimam Cæciliam Renatam Austria-

Hanc per Ossoliniū Principē, à Ferdi-

nando II. privatim Impetrat Anno 1636. ſtriacam, Ferdinandi II. filiam, Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris ſororem, propriam conſobrinam ſuam reſpexit. Itaque Anno 1636. Georgio Oſſolinio Principi, ſuo ad Sereniſſimũ Electorale Collegium (tunc Ratiſponæ ſolenniter congregratum) Legato, inter cætera quoque, ut Cæciliam Renatam Auſtriacam, ſibi in thori Regniq; Conſortem, privatim à Patre Ferdinando II. peteret, commiſit. Et tunc quidem Ferdinandus II. non parum ſibi congratulatus quod in fatali ſua debilitate, tamen ante mortem adhuc, Vladislaum Generum ſuum cognoviſſet, prudenter aſſenſit.

Caſimirũ Principẽ, cum Reip: Legatis, ſolenniter Viennã mittit Anno 1637. Oberat unum autem cognati ſanguinis impedimentum, quo, ob ſolidas rationes, Apoſtolica diſpenſatione remoto, ad ipſa matrimonij vincula, Anno Chriſti 1637. palam proceſſum. Et à Sereniſſimo Rege Vladislao quidem Caſimirus Princeps, à Republica Polona vero Johannes à Lipie Lipski, tunc quidem Culmenſis & Pomeſaniæ Epiſcopus, nunc autem Gneſnenſis Archiepiſcop9, Primas Regni, vir eloquentiſſim9, & puriſſima latinitate prorſus Lipſius, & Comes Caſparus Dönhoffius, Palatinus Siradienſis, Illuſtriſſimorum Comitum, Magni Erneſti Dönhoffij Palatini Parnavienſis, & Gerhardi Dönhoffij, Regii

Regii Mariæburgenſis Oeconomi, Capitanei Coſſerinenſis & fortiſſimi Belli Ducis Germanus Frater; ita jam olim Sigiſmundo Regi charus, ut ultima, morientis Regis, gratiæ ſigna, non ore, non lingua, nec labris, ſed, quod alibi inauditum, ejusdem Monarchæ manu perciperet, Viennam deſtinabantur.

Hic ergo Caſimirus Princeps, cum duobus illis Poloniæ Regni Legatis, nobiliſſimo & numeroſiſſimo duorũ millium comitatu ſtipatus, Warſavia Viennam profectus eſt. Quam deinde, poſtquam in arce Wolkerſtorffiana, diebus aliquot, longinqui itineris nauſeam, quiete decoxiſſet, Anno 1637. 26. Julij, Legatis Regni una aut altera die præcedentibus, Regio ſplendore ingreſſus eſt. *Hanc ingrediũtur An. 1637 26. Iulij.* Antequam tamen Urbem ingrederetur, Archidux Leopoldus, rheda in occurſum properans, officioſiſſime ſalutavit. Ac deinde in rhedam ſuam Principem Caſimirum acceptum, in arcem novam deduxit: Reipublicæ vero Polonæ Legatis, Eggenbergianum Palatium commorationi aſſignatum. Quibus diebus aliquot cum Viennenſi Epiſcopo, Comite Trautmanſtorffio, & Domino Priggelmaiero, circa dotalia tractanda occupatis, Sereniſſimam Archiducem Claudiam interim, quæ Reginam Sponſam, honoris gratia, in Poloniam

comi-

comitaretur, Oeniponto Viennam invitare placuit. Et hæc, licet tunc temporis obsidione Brisaci non parum commoveretur, tamen affectum in Augustissimam Domum Austriacam, & Cæciliam Renatam, potiorem ostendit. Quippe, Serenissimæ Proli valedicens, trecentis suorum assumptis, secundo Anaso Danubioq; descendit.

Cæciliam Renatam in connubiũ Vladislao IV. à Ferdinand: III. solenniter petũt. 31. Julij. Interim autem dum Claudia Archidux navigat, et, quo ad dotalia, facile deputati convenissent, Reipublicæ Polonæ Legati, ad aulam Cæsaris, die ultima Julij, se contulerunt. Quorum unus Johannes à Lipie Lipski Culmensis & Pomesaniæ Episcopus, nomine Regis & totius Reipublicæ Polonæ, hac oratione gravissima, Cæciliam Renatam, à Sacratissimo Imperatore Ferdinando III. Vladislao Regi in connubium, Poloniæ vero in Reginam, rara quadam facundia, deposcebat.

Pertinebat, Invictissime Imperator, ad novi Imperij auspicia, & Christiani Orbis vota, atq; auguria, ut Vladislaus Rex, post debellatos hostes, & tranquillatas Provincias, in Imperatricem Domum parta trophæa secum inferret; & victricibus armis in hoc Augusto sacrario suspensis, Regalem Manipulum, candidis tæniis, in opimam publici otij frugem fasciaret. Extimuerat nimirum Orbis, post receptum Cælo Divum Progenitorem Ferdinandum, novi Imperij auspicia, dum videbáre, Augustissime Cæsar, ex Imperialibus Coronis ferream primum induisse, à vincente ferro Imperium auspicatus; nî cognatus Rex, ferrea auspicia in aurea vertisset, & Septentrionalis Mars, post belli fulmina, auream pacem, & lætum hymenæum Orbi, bellis fesso, prætonare cæpisset, Viennæ Procus, Coloniæ Pacificator. Nova ergo omnia, nova auguria Orbi ferimus, dum, inter bellorum Classica, Epithalamium apud novum Imperatorem, Magni Regis Pronubi præcinimus, à quo depulsis procellis disserenare jam in optatam malaciam incipiat, & ferrea sæcula aurescere. Quid ni hoc jam sperare liceat? Quando Mars ipse Orbi ad pacem pronubit, & Bellonam apud alterum Martem ambit, non arcum, sed Organa tractantem, ad præcinendum Cælo & Orbi, Cæcilianam harmoniam: Quæ cum per Septentrionem nostrum dudum suave insonuisset, Martij Regis vota, hactenus per Orbem vaga, & multis ambita, in primam Orbis Domum pellexit; Cælo, & fatis novorum seculorum texturam ordientibus. Sed præter hæc fausta Orbis auguria, Tuum hoc etiam, Maxime Imperator, sempiternum erit decus, quod tui Imperij prima salutatrix fuerit victoria, salutator Victor Rex, nõ vota modo, sed victoriam de se, in Victricem ferens Domum, ut plenum Majestas vestra haberet gloriæ titu-

titulum, initio Imperij & hostes, & Amicos vicisse. Obsecundare etiam Rex Frater volebat, non publicis tantum votis, & augurijs: verum etiam Tuæ Majestatis & Augustæ Domûs genio, quod & illi antea prima Hungaricæ, & Bohemicæ Coronæ auspicia, à victoria, & nuptiis obtigissent; & huic, tanquam supra rerum humanarũ sortem fastigiatæ, ipsæ etiam mortes Imperia, Victorias, Connubia parturire soleant, ut neque modo aliam jacturam, aliam orbitatem sentiat, quam quod Divus Ferdinandus Pater mortalis esse desierit, quando statim Filius pro eo imperare, ac vincere, Filia in Reginam à Magno Rege, & Regno ambiri, ac novi Nepotes ad capessenda Paterna, avitaq; sceptra nasci cœperint: tanquam in hac Domo nihil non immortale sit, præter mortales. Quod ergò Cœlum, quod vota & auguria publica, quod Imperij Majestatis vestræ auspicia, & Imperatricis huj⁹, ac Nostræ Regnatricis Domûs, æterna fata destinabant: id Nos solenni istâ Legatione exequimur, vota & preces Serenissimi Regis nostri in Fraternum Majestatis vestræ sinum reverenter deponentes, quibus Serenissimam Principem Cæciliam Renatam, Majestatis vestræ Sororem, in Sacrum Connubium deposcit. Conspiravêre diu in hoc Conjugium sanctissima destinata Cœli, perennia Orbis Sarmatici fata, Procerum Consiliã, Vota Populorum, Religio, Sanguis, Vicinitas: atque ut omnia ista

ista conspiravisse, haud ambigendum sit, ad Vota Regis hîc demum sistenda, quæ per Principes Domos magis ambitus, quam ambiens circumtulit; ita Nostri Comitij, atq; adeo Regni Universi Consilia, & Vota huc incubuisse satis documenti est, dum petimus, quod ipsi cum universâ Patrum Curia suasimus. Adeò quid Orbi, quid Imperio Majestatis Vestræ portendat nupturiens in Martia Domo Mars, etsi alienorum omnium incuriosi esse vellemus, nostrorum securi sumus, dum res & exempla pro augurijs habemus, nempe Elisabethas, Annas, Constantias, Augusta Reginarum nostrarum nomina, quas Rex, quas nos ipsi, istarum Nuptiarum Auspices, ac fidas paranymphas habuimus, mox in Renata Regina nobis renascituras. Hinc haud mirum, si post Reginas, quas nobis Austria dedit, quatuor Regibus Matres (quarum vel sola Vladislai Regis Mater satis adhæc vota invitamenti haberet) prona in Reginam hinc ambiendam, & Senatûs Consilia, & Ordinum studia, securis omnibus, nec Cœlum fallere posse, nec fatorum industriam aberrare; quorum hoc perenne quoddam arcanum est, in hac Domo alijs Reges, nobis Reginas nasci, utpotè, quibus non alibi, quam in liberis pectoribus, Reges nascantur. Quin nec Reginæ, nisi quod jam diu in Augusta hac Domo faustissimum Reginarum nostrarum Nidum, Cœlum, & Sæcula posuissent. gratæ & mutuæ redhibitioni pro Cymbarcâ

barcâ nostrâ obsecundantibus fatis, tanquam vel pro hac ipsa Imperatoris Austriaci Matre, jure hinc petamus Regum Nostrorum Matres, quas lubens & grata dabat hæc Domus nobis, mox etiamnum datura Novam Novis Sigismundis & Vladislais Matrem, quos Filiæ & Sorores Imperatorũ nobis parere consuêssent; datura, inquam, habituris quo, si Superis placet, tanti pignoris officium pensemus. Verum quæcunq; fuere & Serenissimo Regi, & Nobis ipsis, præsentis Voti & Consilij suscipiendi invitamenta: eadem etiamnum sunt, solenni prece & officio maturandi, privatis fulta Regiæ Domus rationibus, ob casum geminatorũ nuper funerũ, orbitatem, magnâ Orbis jacturâ, formidantis. Proprio præterea genio, optimus & sapientissimus Rex, diu ferebatur in cognatam & Maternam Domum, Cœli Alumnam, Orbis Gemmam, Religionis Altricem, Impietatis Domitricem, gloriæ Nidum, Virtutis Procreatricem, Cæsarum Matrem, Imperij Conservatricem. Proinde ex hac Ille sibi Thori, Sceptriq; Sociam, Nos Reginam deposcimus: & à Majestate Vestra, uti Domûs & Imperij Præside, petimus. Annuit his votis, procul dubio, Cœlum; annuit è Cœlo Divus Ferdinandus Pater, quia hîc Superstes annuerat; annuit ipse Orbis, lætus talibus augurijs se novo Imperio, almæ paci, aureo sæculo, inaugurari. Reliquum est, ut, cum Majestas quoque vestra annuisset, solennioribus

pactis,

pactis, & sanctissimo fœdere rem velit maturari; cessuram, adspirante supremo Numine, in Magnum Orbis, & Imperij Christiani Emolumentum, Religionis præsidium, ac utriusque Domûs decus & solatium. Tui vero inprimis, Augustissime Cæsar, Imperij lætam faustitatem, ad quam fortunatissimus Rex præit Nuptiali omine, in partem fausti auspicij ipse veniens, sanguine Frater, fœdere Socius, Connubio Affinis, ut accessura magna novo Imperio fulcra, certius omnibus auguriis sit, cum accedit Magnus, Potens, Bellicosus Rex, uno verbo dicam, Vladislaus.

Post triduum deinde, cum Sacratissimi Imperatoris voluntas in consensum prudentissime desiisset, ab eo, ad Cæciliam Renatam, tanquam jam Vladislai Regis Domini sui Sponsam, & suam, & Poloniarum designatam Reginam, conversi, idem qui primo Culmensis & Pomesaniæ Episcopus, Vladislai Regis nomine, hac Oratione Latina (quia non inelegantius eadem lingua, quam vernacula, Cæcilia Renata loquitur) salutavit.

Cæciliam Renatam Vladislai nomine salutant. 3. Aug.

Venimus salutatum Majestatem Vestram, à Serenissimo & Potentissimo Principe Vladislao IV. Poloniæ & Sueciæ Rege, Domino Nostro Clementissimo. Venimus, inquam; sed non jam tantum à Fratre ad carissimam Sororem: ast à Rege ad Reginam, à Sponso ad desideratam Sponsam. Novum hoc scimus & insolens

insolens

solens in auribus Angelicis Majestatis Vestræ salutationis genus; sed diu Cælo, & fatis decretum, votis publicis concupitum, Divo Progenitori, & Augustissimo Fratri placitum, Supremo Sacrorum Præsidi ratum. Itaque non exaggerabimus magnitudinem Regij affectûs, cum quo amantissimæ salutationis, atq; comprecationis officium Majestati Vestræ per Nos impertit. Nempe superat officiosa vota ipsum Fratris & Sponsi nomen, præcipui humanæ caritatis nexus: qui Regium quoque pectus eo affectu Majestati Vestræ devinxêre, ut nihil in eo voti, nihil studij resideat, quod non totum amori Majestatis Vestræ mancipet. Sed quanquam Serenissimus Rex eum affectum erga Majestatem Vestram, in fraterno pectore aleret, quem tam propinquus sanguis excitavit: non is tamen illi ad vota præsentis Conjugij paranymphum egit; sed inclytum genus, sublimes dotes, eximiæ virtutes, quæ in amorem Majestatis Vestræ Regem raperent, etsi Frater non esset. Quin hoc ipsum, ut liberè more nostro fateamur, quia Frater erat, vota hæc morabatur; ne aut leges Sacras posthabuisse, aut affectui fraterno, in legenda thori Regnique Sociâ, indulsisse videretur. Verum postquam Cælum, & Suprema ejus in terris potestas, Religioni Catholicæ, publicæ saluti, ac Regiæ Domui prospiciendum isto Conjugio censuit: statim hîc optimus & sapientissimus Rex stitit vota, per Principes Domus haud ingra-

ingratis hospitibus oberrantia, ac eadem in sinum utriusque Imperatoris, Ferdinandi Avunculi, & Fratris deposuit; ijsque demum Sanctissimo fœdere maturandis, & Majest: Vest: ad Reginale Solium, ac Diadema deducendæ, nos huc ablegavit. Ferimus inprimis Majestati Vestræ à Rege nostro, non fraterni modò atque Connubialis affectûs, verum etiam grati, & obligati animi officium, pro eâ voluntate, quâ Majestas Vestra Divino cumprimis, Paternoque & Fraterno placito, tum flagrantibus Regis, & Regni nostri votis, ac rei Catholicæ, publicæq; obsecundat. Ferimus deinde Amplissimi Senatûs nostri, cujus pars sumus, suffragia, cæterorumq; Ordinum studia, unâ voce Majest: Vest: Regi in Sponsam, Regno in Reginam, sibi in Dominam deposcentium. Neq; nobis opus est tam concordis in Majest: Vest: consensûs publici causas memorare; aut Augustum genus, præcipuum connubiorum decus, adstruere; quando satis dictum foret, Te Neptem, Filiam, Sororem, esse Imperatorum. Verumenimverò commune hoc Regi nostro cum Majestate Vestra decus, ex eadem Augustâ Domo, ex quâ Tu Paternum, Maternum ducenti genus, Tibi Ipsi, Imperialis Virgo, Tuisq; Angelicis moribus, Tuis Regijs virtutibus, Tuis Augustissimis dotibus acceptum ferre debes, Te à Magno Rege, & Regno ambitam, à pleno Comitio lectam, à tota Sarmatia concupitam, votis, suffragijs, vocibus publi-

publicis, Reginam inauguratam. Namque videmus in Te, non otioso titulo Renatæ nomen Cœlitus sortitâ, renatas nobis Elisabethas, Annas, Constantias, viva sanctitatis simulacra, rara fœcunditatis exempla, quæ nobis non Reges modò, sed & Sanctos genuerunt, & per quas modò habemus unde Nostra Regina esses. Ibit ergò Majestas Vestra ad Regem Fratrem, & Sponsum, Unicum humani generis delicium, multis invidiosè ambitum, conscensura thorum, soliumque Regale, Tuis Aviabus, & Materteris feliciter præsessum. Ibit ad Regnum, Gentemque, etsi omnium liberrimam, tamen reverentiùs cæteris Regnis, ac populis, Reges, Reginasq́; suas tractare solitam, & in cujus sinu, ex Tua Avia natus Rex, se tuto obdormiscere posse, erat hîc quondam coram Regibus gloriatus. Secure & Tu, Domina, in liberis & fidis pectoribus nostris depones dignitatem, & fortunas Tuas omnes; & liberè à curiâ, Comitioque nostro Regi lecta, & cæteris omnibus in Orbe præhabita, dignius promptiusque libero apud nos obsequio coléris, quam alibi debito. Quin, fidenter dicam, securiorem apud nos esse Sceptri Regiam prolem, ubi libertas Parens Regum, quam ubi Reges. Nulla certe vidit ætas posthabitum ibi Regum sanguinem, quoad in utroque superesset sexu, quin vel ultra Alpes, & maria, ad Sceptra quæreretur. Non erit, si Superis placet, infelicior eo nomine, amor & deliciæ nostræ Vladislaus Rex, Avis & Progenitoribus suis Vladislais,

Casi-

Casimiris, Sigismundis: neque Cæcilia Regina, Elisabethis, & Annis, quæ, quot filios, tot Reges nobis ediderunt, nisi, qui cum Superis regnare maluerunt. Superest modo, ut quod vovemus, speramusque, has Nuptias ita secundet, fœcundetque summus illarum auspex Deus, ut in longam Magnorum Regum seriem sobolescant, & renatos ex Renata Nostra & posthuma sæcula videant, Vladislaos, & Sigismundos, Patrem heroicâ & bellicâ virtute, Matrem Religioso Superum cultu, nobis, & Orbi referentes.

Interim autem dum hæc apud Imperatorem, & Serenissimam Cæciliam Renatam, æmula Ciceronis eloquentia, Reipublicæ Polonæ Legati expediunt, jam Archidux Claudia, cum, ob continuam pluviam, Ottingii biduo moram traxisset, tandem 6. August. prono Danubio Viennam applicuit. Cujus adventu nuntiato, Imperator Ferdinandus III. Serenissimis, Cæcilia Renata, Archiduce Leopoldo, Principe Johanne Casimiro, & Reipublicæ Polonæ Legatis comitatus, quinquaginta rhedis Danubij ripam occupavit, Archiducem Claudiam, quatuordecim navibus descendentem, excepturus. Ut primum ergo Archiducis navis applicuit, Imperator, relicta terra, in eandem navim descendens, cum Serenissimis aliis, humanissime salutavit. Ipsam deinde Archiducem, cum Sorore Cæcilia Renata, in currum suum

Archidux Claudia Viennam venit 6. August.

 acci-

accipiens, comitantibus Archiduce, Principe Casimiro, ut & Reipublicæ Polonæ Legatis, in Palatium Imperiale reversus est.

Vladislai IV. & Caeciliæ Renatæ Austriacæ sponsalia nuptiæ 9. Aug.

Et jam ad summam rei nihil deerat nisi copulatio ipsa: cum qua, omnibus hucusque feliciter expeditis, cunctari diutius inutile visum. Itaq;, quod felix faustumque, 9. Augusti tempore pomeridiano, comitantibus Ducibus Comitibusque Viennæ præsentibus, regali prorsus magnificentia, ad templum Augustinianorum transitum est. Ibi omnibus ad hanc solennitatem jam antea præparatis, Princeps Johannes Casimirus, veste indutus Phrygia, Vladislaum Regem in hoc matrimoniali actu repræsentans, & Serenissima Sponsa, Cæcilia Renata Austrica, designata Poloniarum Suæciæq; Regina, vestem pariter induta Phrygiam, ad altare accedebant. Et pertinebat quidem copulatio de jure ad Viennensem Episcopum, sed, ad instantiam Johannis Lipski, tunc Culmensis & Pomesaniæ Episcopi, pro ea vice, juri suo cessit. Quare Culmensis Episcopus, prævia oratione Latina, eâdem linguâ, Cæciliam Renatam, Latine pariter in hac solennitate semper & elegantissime respondentem, Casimiro Principi, personam Poloniæ Regis repræsentanti, solenniter junxit. Quo facto, omnia in circuitu Viennæ tormenta, ter in lætitiæ & congratulationis signum, detonuere. Inde musica, sua-

suavissimo vocum instrumentorumque lenocinio aures mulcens, successit. Qua finita, VIVAT VLADISLAUS REX, diversis vicibus ingeminatum. Et ita quidem solennitate consummata, eadem regia magnificentia, in arcem regrediebantur. Ibi mensa in aula equitum præparata erat: in cujus capite Imperator Ferdinandus III. à dextris Principem Johannem Casimirum, tanquam Sponsum, accipiens, sedit. A latere autem Casimiri Principis Serenissima Sponsa, post hanc Johannes Lipski Culmensis & Pomesaniæ Episcopus. A sinistris autem Imperatoris, Serenissima Archidux Claudia, Archidux Leopoldus, & Comes Casparus Dönhoff Palatinus Siradiensis, consedere. Bibitæ, post paululum, sanitates, & cantati, ad hanc solennitatem compositi versus, Musicæ harmoniæ subjecti.

Dum ita dies hæc sponsalitia solennitate transigitur, altera mox insequenti, Vidua Imperatrix Ferdinandi II. Cæciliæ Renatæ Poloniarum Reginæ Mater, ex Styria, ob inassuetum & noxium valetudini suæ aërem, Viennam venit; ita adgubernantibus Superis, ut filiæ Cæciliæ Renatæ, Maximi modo Regis dignissimæ Sponsæ, amplissimi Poloniæ Regni Magnæ Reginæ, antequam Vienna discederet, præsentia frueretur, et, suprema forte

Vidua Imperatrix Ferdin. II. Viennam venit. 10. Aug.

 libans

libans oſcula, ultimum, præſens, vale diceret: Cæcilia vero Renata, facie Sereniſſimæ Parentis beata, nullius porro videndi, niſi unius Sereniſſimi Sponſi, deſiderio teneretur.

Sponſa Poloniam verſus diſcedit 12. Auguſt.

Itaque, peracto ab omnibus ſalutationis pariter & valedictionis officio, Vienna tandem, cum Regina Sponſa, Poloniam verſus diſceſſum eſt, quos Imperator Ferdinandus III. ultra Wolkerſtorffium, honoris gratia, deducebat. Dietrichſtenius Princeps usq; ad ipſos Poloniæ fines: Georgius Traſchowicius autem Jaurinenſis Epiſcopus, ut omnibus ubiq; Reginam Sponſam latine ſalutantibus, ejus nomine reſponderet, juſſu Cæſareo, Warſaviam usq; comitabatur.

In Poloniæ limitibus, nomine Regis excipitur. 24. Auguſt

Simulac vero, relictis Imperij Romani limitibus, in Polonicos fines conceſſere, ecce vaſtiſſimum, in patenti viridique campo, tentorium apparebat: cui cum appropinquarent, Jacobus Zadzick Cracovienſis Epiſcopus, & Georgius Oſſolinſki S. R. Imper: Princeps Sendomirienſis Palatinus, quinquaginta rhedis & curribus, & ſex haſtatorum Sclopetariorumq; turmis, obviam proceſſerunt. Ita Regina Sponſa, inter duos Epiſcopos Cracovienſem & Culmenſem media, in tentorium deducebatur. Ibi, Regis Vladislai nomine, Sponſa, à Cracovienſi Epiſcopo, Oratione Latina: à Caſtella-

ſtellana vero Voinicenſi Matre Palatini Cracovienſis, ſummę gravitatis & prudentię Vidua, Polonicè ſalutabatur. Et Cracovienſi quidem Epiſcopo Jaurinenſis Epiſcopus, Matronæ vero Caſtellanus Siradinenſis, Reginæ Sponſæ nomine, reſpondebant. Princeps Oſſolinius etiam tunc Palatinus Sendomirienſis, Archiducem Claudiam Italice ſalutavit, cui ipſa Claudia Archidux, eadem lingua reſpondit. Inde, quoniam S. Bartholomæi feſtum erat, ab eodem Cracovienſi Epiſcopo Sacrificium Miſſæ ſolenniter inchoatum. Quo finito, Johannes Caſimirus Princeps, rhedam ex toto propemodum deauratam, Reginæ Sponſæ præſentavit. Noviſſime utriusq; nationis Magnates Regie paſti, invicem valedixerunt. Quicquid enim, excepta Archiduce Claudia & Jaurinenſi Epiſcopo, Germanicum erat, Viennam revertebatur: quicquid Polonicum, partim ad propria ſe recipiebat, partim cum Regina Sponſa perſeverabat.

A Cracovienſibus magna pompa excipitur. 27. Aug.

Ut Tertia die Cracoviam attigere, ecce alius honor: Occurrebat iterum Cracovienſis Epiſcopus majori nobilium numero comitatus, & Regina Sponſa privato nomine ſalutata, ad Urbem deducebat. Cui cum propius Sponſa appropinquaret, ſedecim cohortes civium, in miram magnificentiæ ſpeciem exornatæ, obviam gradiebantur.

Quæ,

Quæ, Sereniſſimæ Sponſæ propinquiores, in tres partes, prout in tria diverſa Oppida Urbs Cracovienſis diſtincta eſt, ſe diviſere: quarum Magiſtratus ſinguli, Oratione latina, Reginam Sponſam excipiebant. Mercatores præcipui, Attalicis tegumentis unius coloris omnes ſuperbi, centum quinquaginta numero, in equis, ut plurimum Turcicis & Arabicis, occurrebant: quos totidem famuli, in equis pariter & unius coloris veſtitu, ſequebantur. Prope S. Florianum Academicus Magiſtratus, Reginam Sponſam, Oratione Latina, ſalutabat. Inde Civitatem ipſam Regina Sponſa ingrediebatur. Ibi duobus Arcubus triumphalibus, Turcicæ, Moſcoviticæ, Tartaricæ, aliæq; Victoriæ Regis, repræſentabantur. Hos arcus triumphales cũ Cæcilia Renata tranſiret, miro quodã artificio, Aquila alba Coronam Genio tradidit: qui ad Sponſam deſcendens, eandem ei, cum Sceptro, in rheda obtulit, & mox, uno quaſi momento, omnium oculis ſeſe ſubduxit. Prope Metropolitanam Eccleſiam, Clerus in Pontificalibus occurebat; cujus Præpoſitus, Reginam Sponſam oratione Latina ſalutans, ad chorum introduxit. Tum Epiſcopus SS. Ambroſij & Auguſtini hymnum ſolenniter inchoavit: quo ſuaviſſima muſica abſoluto, cum Sancti Stanislai reliquias Sponſa oſcularetur, ter omnia

omnia in circuitu Urbis tormenta detonuere. A templo ad Regiam itum eſt: cujus primos gradus Sponſa attingente, à Premislienſi Epiſcopo, & Lithuaniæ Theſaurario, Regis Sponſi nomine, ſalutabatur. Quibus, ſicut alias ſemper, Sponſæ nomine, Jaurinenſis Epiſcopus, pari facundia, reſpondebat. Et jam crepuſculum veſpertinum erat, quo, in confinio lucis & tenebrarum, ad cænam, regia magnificentia præparatam, Sereniſſimæ hoſpites ſe conferebant: ſed major curioſitas flammarum fuſilium, & ignium feſtivorum pleroſque, quam refectionis cupido invaſerat. Duas columnas Cracovienſes extruxerant, ſuper quas inſignia & nomina quædam, è nitrato pulvere, miro artificio fabricata erant. Quibus incenſis, nihil ilico niſi flammæ & ignes; ita artificioſe facti, ut integræ horæ ſpatio, inter hæc martialia tela, incorrupta tamen inſignia & nomina perſeverarent: quæ deinde, quaſi momento temporis, in flammam & fumum evanuere. Noviſſime Caſtellum ingenioſiſſima manu erigebatur, ex quo ignes fuſiles, in concurrentiũ acierum ſpeciem, hinc & illinc emicabant. Interim tibiæ & tympana, alternantibus, è viginti mortariis, Bellonæ tonitruis, reſonabant.

Hiſce ſimilibusq; ſpectaculis, in quartam

Pintſchovia à Marchione Gonzaga ſplendide tractatur 8. Sept.

usq; diem Cracoviæ recreati, coactis iterum in arma civibus, ulterius proceſſere. Ubi Pintſchoviam ventum, Marchio Gonzagæ, Miskovius nomine, ex Mantuæ Marchionibus ortus, adeoq; postquam illa familia Nivernicæ Domui ſeſe miſcuit, & Sereniſſimorũ Ducũ, Juliæ, Cliviæ, Montium, cognatus, ejus loci Dominus, ducentis Nobilibus Comitatus, in foro obviam equitavit; quem duo vexilla peditum, Burgrabio Duce, ſequebantur. Peracto ibi à Marchione ſalutationis officio, Reginam Sponſam, cum omni comitatu, qui duorum millium & quingentorum erat, in Palatium ſuum introduxit. Qua cataractas portarum ſubeunte, tormenta in vicino monte diſpoſita, in lætitiæ Symbolum, ter flammas vomuere. Ut eſt autem Marchio ille in omnes humanitatis eximiæ, ita Reginam Sponſam, cum ingenti illo comitatu, & prandio, & cœna, Regium in morem præparatis, refecit. Poſt cœnam, choreis magna pars noctis impenſa eſt.

Viasdovia à Principibus Carolo & Anna Cõſtantia excipitur 10. Sept.

Tandem, cum in loco, Ilſcha dicto, Vladislaus Rex, paucis comitatus, hora circiter media noctis, Reginam Sponſam, 6. Sept. primum ſalutaſſet, medio à Warſavia milliari, Uiasdoviam (ingens Palatium eſt, recreationi Poloniæ Regum ſerviens) 10. Sept: pervenere. Ibi Princeps Carolus Ferdinandus, cum Sorore Principe Anna Conſtantia, Reginam Sponſam, & Archiducem Claudiam, excipiebat. Cum vero prandio accumbere jam jam ſeſe accingerent, Vladislaus Rex ſupervenit. Qui, Sponſam & Archiducem Claudiam, ſalutans, manuque ducens, inter illas medius conſedit, ſed mox, peracto prandio, Warſaviam ſeſe recepit.

Solennis ejus ingreſſus VVarſaviam, 12 Sept:

Interim omnia ad ſolennem ingreſſum præparabantur. Quibus, maximo cum ſumptu, in effectum tandem deductis, 12. Septemb: abſoluto prandio, Varmienſis Epiſcopus, & Oſſolinius Princeps Sandomirienſis Palatinus, ad hoc à Vladislao Rege deputati, Reginam Sponſam, ad ingreſſum & Regiam invitavere. Qua humaniſſime acquieſcente, Princeps Carolus Ferdinandus in rhedam ſuam Reginam Sponſam, cum Archiduce Claudia, accepit. Quibus honoratiore loco collocatis, ipſe cum Sorore Anna Conſtantia, eidem, è regione inſedit. Erant autem duo tentoria, Regali prorſus magnificentia, in aperto campo erecta, circa quæ tria haſtatorum & Heidonum millia, tum tredecim vexilla civium, denique quingenti nobiles, in equis Turcicis & Attalicis veſtibus omnes, in unam aciem conglobati ſtabant. In priori autem tentorio, Vladislaus Rex, cum

Principe Johanne Casimiro, & quibusdam Episcopis, Reginam Sponsam præstolabatur. Cui ad Regem ingredienti, Præmisliensis Episcopus, idem, ut opinor, qui & nunc Magnus Cancellarius Regni Petrus Gembicki, Sac. R. Majestatis nomine, felicem adventum, Oratione Latina, congratulabatur. Cui, Reginæ Sponsæ nomine, Jaurinensis Episcopus, ut alias semper, respondebat. Quibus finitis, Rex, Ducibus, Palatinis, & Senatoribus variis comitatus, ad tentorium vicinius Urbi, Reginam Sponsam manu duxit. Ibi, dum Serenissima Sponsa, à Magnatibus variis, & Illustrioribus Virginibus terræ, salutatur, rheda, pro Regina Sponsa noviter facta, ad os tentorij, nutu Regio, advehebatur. Hæc pretiosissima erat, adeo etiam, ut quicquid ferrum esse consueverat, argentum esset: introrsum veste Phrygia, extrorsũ holoserico rubro tecta. Quæ octo equis generosissimis Turcicis, coloribus in miram pulchritudinem variegatis, trahebatur. Ad hanc cum Regina Sponsa à Rege Sponso duceretur, jam acies in cohortes turmasque soluta, solennem ingressum auspicabatur. Præcedebant rhedæ vacuæ circiter triginta, quas quinque Heidonum vexilla sequebantur. Post hæc Archiepiscopus in rheda vehebatur, cujus verticem, in rheda

rheda pariter, Lubelski Capitaneus Warsaviensis claudebat. Inde vexillum unum Heidonum ibat, cujus vestigia à viginti alatis equitibus premebantur. Vehebatur in rheda, post hos, Matthias Lubinski Plocensis Episcopus, quem quatuordecim vexilla peditum sequebantur: hæc autem, ab insequentibus Regis Heidonibus, sexiga distinguebat. Heidones autem, qui sequebantur, Regii, trecenti sexaginta numero, sub uno vexillo omnes, galeis ferreisq; thoracibus severioris militiæ mores referebant. Prætoriani equites quingenti porro sequebantur, quos viginti quatuor tibicines præcedebant. Inde Dn. Gostomski turma equitum, et, post hanc, Martini Kazanovii Polonici Generalis, hastati, magnifice induti, & alati omnes, equitabant; quorum terga centum quinquaginta, tum Poloni, tum Germani Nobiles, in generosissimis equis Turcicis premebant. Omnia autem hæc equitum peditumque vexilla, circiter quatuor millium militum, novis unius coloris vestibus, ad hoc à Vladislao Rege donatis, singula distinguebantur. Quin imo & plerisq; Nobilibus, & Officialibus suis, regia prorsus munificentia, Vladislaus Rex, holosericas & Attalicas vestes dederat. Adeò ut hi militares ordines, mira voluptate, intuentium oculos recrearent. Itaque, ut ad pro-

propositum revertamur, post hosce centum quinquaginta Nobiles, Duces, Principes, Palatini, Legati externorũ Principũ, ut & Ragotzii Transylvaniȩ Ducis, & Maraschalci sequebantur. Tandem ipse Valdislaus Rex, albo Caballo generosissimo, in eundẽ modũ, quo octo equi illi generosissimi, qui Reginæ Sponsȩ rhedam pretiosissimam trahebant, coloribus variegato, inter Principem Johannem Casimirum jam Cæsariæ Majestatis Legatum, & Sigismundum Marchionem Brandenburgicum, Brandenburgici Electoris consanguineum & Legatum, medius vehebatur. Vestis illius adeò adamantibus erat referta, ut tota adamantina quodammodo videretur: cui lenocinium ornatus equi, adamantibus pariter auroque refulgens, conferebat. Eos autẽm generositatis radios corporis sui Majestate spargebat, ut melius pingere veteres Martem non potuisse viderentur. Immediate post Regem, Regina Sponsa, illâ pretiosissimâ rhedâ, octo equis vehebatur: cui à sinistris iterum Claudia Archidux, è regione Serenissimi Principes, Carolus Ferdinandus & Anna Constantia. Erant autem, prope Warsaviense suburbium, quadraginta tormenta & mortaria bellica, in ordinem rite disposita; quæ, postquam Regina Sponsa rhedâ suâ transierat, in congratulationis & lætitiæ signum,

signum, detonuere. Inde quinquaginta sexigis Reginæ Sponsæ, Archiducis Claudiæ, & Principis Annæ Constantiæ, gynecæum vehebatur: cujus tergum & agmen ultimum, Civium Warsaviensium tredecim vexilla claudebant.

In Cracoviensi suburbio Arcus duo triumphales erecti erant, in quibus, præter picturas artificiosissimas, S. Cæcilia desuper, organum pulsans, structa erat; infra quã Musici absolutissimi abditi, Cæciliâ Renatâ Sponsa transeunte, suavissimâ vocum instrumentorumque harmonia, æmulâ Cœlo suavitate, mulcebant aures. Portam ipsam Warsaviensem Reginâ Sponsâ subeunte, hisce, in Arcu triumphali, versibus salutabatur. *Arcus triumphales & Carmina.*

Affusam Regina tibi circumspice turbam,
quâque venis gaude vix reperire viam.
Plebis amor tantas tibi convocat Urbe catervas;
quo tibi clausa magis semita, aperta foret.

Inde.

Has aperit Regina tibi Warsavia portas.
Læta patent Dominæ mœnia, corda magis.

Ab alia parte, hi versus, legebantur.

Docta Themis, jucunda Charis, formosa Dione,
Juno, Minerva, Dice, Flora, Diana, Ceres,
Quæritis unde Lecho nostro sint Orbe renatæ?
Suscitat innumeras, una Renata, Deas.

Inde,

Inde.

Annon perpetuos sceptro dabit illa Nepotes,
quæ, quâ luce fuit nata, Renata fuit?

Propius arcem Regiam subvectis, in Arcubus triumphalibus, alia disticha se offerebant: & ab una quidem parte.

Arboreas, hospes, portas ne despice: Lechus
intus habet muros, lignea tecta foris.

Inde.

Festinis ne necte moras Regina quadrigis,
si populi spectes gaudia, sero venis.

Ab altera parte.

Augustus cum tu Rex Vladislae voceris,
September nobis Cæcilianus erit.

Inde.

Robur, opes, animos, Aquilo conjunxit & Auster,
quisquis in alterutrum corripis arma cave.

Sed & ad ipsam Regiam, à latere dextero, sequentia legebantur.

Cæciliæ Renatæ,
Luci Austriæ,
Imperatoriæ Domus Sideri,
felici Sospitatrici,
Reginæ,
Conjugi fortunatissimæ
S. P. Q. Varsav:
P. P.

A sini-

A sinistro latere autem

VLADISLAO IV.
Moscovitico, Turcico, Scythico,
pio, felici, victori.
Terrori Orientis,
Occidentis spei,
Conjugi fortunatissimo,
S. P. Q. Varsav.
P. P.

Novissime pro sanitate Serenissimorum Conjugum, Senatus Populusque Varsaviensis, in alio Arcu Triumphali, desuper Stantibus Divorum Poloniæ, Austriæ, Sueciæq; statuis, ab uno latere, ita vovebat.

Divi Divæque,
Poloniæ & Austriæ,
Indagetes:
CÆCILIAM RENATAM AUSTRIAM,
Poloniæ Sueciæq; Reginam,
diu Regi,
diu Regno,
diu Urbi huic,
incolumem
Velitis, impetretis.
ita vovemus
S. P. Q. Varsav:

 Ab

Ab altero latere, in eodem Arcu,

Divi Divæque
Poloniæ & Sueciæ,
Præsides & tutelares,
VLADISLAO IV. faventes,
Et secundi bello,
Et pace adsitis.
Diu Cœlum virtutem ejus terris
Commodet, diu ipsum exspectet:
Dum Orientem laurea,
Occidentem Olivâ præcingat.
Ita velitis, oretis,
ad votum
S. P. Q. Varsav:

Inter hos Musarum plausus, & Varsaviæ vota, ad templum S. Johannis ventum est: quod cum Serenissimi, cum Magnatibus terræ, subiissent, clausis, ob ingruentis multitudinem vulgi, ostiis, à Posnaniensi Episcopo, qui cum Clero extra chorum obviam illis processerat, Regina Sponsa, Oratione Latina, salutabatur: cui cum, more solito, Jaurinensis Episcopus responderet, jam Gnesnensis Archiepiscopus, Primas Regni, Johannes Wezyck, Pontificialibus suis indutus, ad ea, quæ porro ad matrimonii vinculum necessaria videbantur, se accingebat: et, præviâ Oratione

Regis & Reginæ solennis & nova copulatio

tione Latinâ, Vladislaum IV. Poloniæ Sueciæque Regem, Cæciliæ Renatæ Austriacæ, solenniter de novo conjunxit. Inde, *Te Deum Laudamus*, Musica exquisitissima, inchoatum: quo absoluto, duo millia Sclopetariorum, ad hoc destinatorum, in congratulationis & lætitiæ signum, explosionibus applausere. Ita felicissime peractâ hâc solennitate, à templo in Regiam, eâdem pompâ Serenissimi ducebantur; ubi soli tantum, eâ vesperâ, cœnam sumpsère.

Altera die, ad Cæciliæ Renatæ coronationem processum est. Et tunc quidem tota via, à Regiæ gradibus, ad templum S. Johannis usq;, mille pedes longa, decem lata, asseribus sternebatur: qui rubro deinde panno, pretioso satis, vestiebantur. Ubi ergo Vladislaus Rex, è Regia sua descendit, Palatini & Senatores Regni, vestibus pretiosissimis omnes induti, terni & terni in ordine, hâc viâ Regem præcedebant. Inde Rex, inter Johannem Casimirum Principem, Cæsariæ Majestatis Legatum, & Legatum Daniæ Regis, medius, inæstimabilis pretii veste indutus, sequebatur. Immediatè post Regem Cæcilia Renata, à Principe Carolo Ferdinando, Hispaniarum Regis personam repræsentante, & tunc Culmensi Episcopo Johanne Lipski, ducebatur. Archidu-

Cæcilia Renata Austriaca, in Poloniæ Reginã, Coronatur. 13. Sept.

cem Claudiam, Ragotzy Transylvaniæ Ducis Legatus; Principem vero Annam Constantiam, Comes Casparus Dönhoffius, Palatinus Siradiensis, ducebat. Novissime, longo ordine, Serenissimarum, Reginæ, Archiducis Claudiæ, & Principis Annæ Constantiæ, gynecæum sequebatur. Quæ passim magnificentia vestium fuerit, non facilè dictu est. Hoc autem à viris fide dignissimis, qui præsentes fuerunt, accepi, ad aliquot auri milliones accessisse. Tota aula Regia, tum & Serenissimorum Principum, Johannis Casimiri, Caroli Ferdinandi, & Annæ Constantiæ, aulici, à Pedibus quoque, Tibicines, & centum numero Regii stipatores, in novis iterum omnes vestibus, auro argentoque prætextis, comparuere. Ut in Ecclesiam ventum est, Vladislaus Rex, in Sacristiam se contulit, et, mutatis ibi vestibus, Sceptrum manu premens, & corona redimitus tempora, in locum suum reversus, Regaliter sub Majestate consedit. Regina vero, ad summum altare se contulit; ubi scamnum, pro ea, holoserico rubro tectum erat, cum pulvinari. Ad hoc cum accessisset, Gnesnensis Archiepiscopus, Orationes & Hymnos, in hoc actu recitari solitos, ordiebatur. Quibus absolutis, Regina, more consueto, aliquamdiu supina jacuit. Novissimè sublevata,

levata, & ad Sacristiam ducta, mutatis ibi vestibus, majori magnificentia ad altare rediit: cui, solitis cum Cæremoniis, Gnesnensis Archiepiscopus, reginali Sceptro manum implevit, & Polonici Regni diademate caput cinxit. Dum ita Cæcilia Renata Austriaca, in Poloniæ Reginam coronata, se ad locum, sibi præparatũ sub Majestate, conferret, SS. Ambrosii & Augustini Hymnus solenni Musicâ inchoabatur. Quo absoluto, Serenissimi, Rex & Regina, coronati, eodem ordine, & eâdem, per asseres rubro panno tectos, viâ, in Regiam perrexere. Cum aliquot vero passibus à templo processissent, duo aulici, ad hoc à Rege deputati, aurea argenteaq; numismata, usque in ipsam Regiam, in confertum vulgus sparserunt.

Ad Regiam autem cum pervenissent, Musici tribus Regiæ portis abditi, gratissimo modulamine animos recreabant. Simulac vero Regiæ suæ Majestates, relictis asseribus, gradus ascendêre, ruber ille, mille trecentarum facile ulnarum, pannus, ab anhelante vulgo in partes lacerabatur. Miraculo simile visum, quod, cum eodem quoque tempore aurea argenteaque numismata largiũs spargerentur, ex invida compressione nemo mortuus, imo ne læsus, quidem fuerit. Cæterum ubi suæ Majestates, deposito diademate, Sceptro, Ornatuque

natuque Regali, ad mensam se contulere, Vladislaus Rex in capite ejusdem consedit; cujus dexteram Johannes Casimirus Princeps, ut Cæsariæ Majestatis Legatus, Legatus Daniæ Regis, Sigismundus Marchio Brandenburgicus, & Ragotzij Transylvaniæ Principis Legatus: sinistram Poloniæ Sueciæque Regina, Cæcilia Renata Austriaca, Claudia Archidux, Princeps Anna Constantia, & Princeps Carolus Ferdinandus, occupavere. In alterius mensæ demissioris capite, quinque Episcopi consedere. Quibus ad dexteram, Principes, Palatini, Castellani, Capitanei sive Gubernatores, & Secretarii Regii Sanctiores; à sinistris, Principes fœminæ, & Serenissimarum, Reginæ, Archiducis Claudiæ, & Principis Annæ Constantiæ, gynecæum erat. Post hæc choreæ in multam noctem.

Rex, Serenissimi Principes, Senatores, Officiales, & Civitates Polonicæ, Reginam muneribus honorant.

Inde, primâ post coronationem die, Vladislaus Rex, Reginæ suæ, centum viginti millia coronatorum donavit: secunda idem Rex, cum Serenissimis Principibus, Johanne Casimiro, Carolo Ferdinando, Anna Constantia, & Principum externorum Legatis, Reginæ munera obtulit. Quâ & eâdem die, Princeps Anna Constantia, Balletum, ut vocant, per duodecim è gynecæo suo virgines, veste partim Phrygia, partim Attalica candida indutas, exhibuit: quod, præter doctum ad chorea-

Balletum Principis Annæ Constantiæ. 15. Sept.

choreales numeros alterno pede gressum, miro quodam artificio, subita mutatio loci in Paradisum, arboribus rivisque jucundum, unde duodecim illæ Virgines egrediebantur, & inopinata, post choreas, in priorem statū translatio, cōmendabat. Tertiâ, Episcopi, Palatini, Castellani, & Senatores alii, septuaginta aurea, & argentea vasa, Reginæ obtulerunt, tantæ magnitudinis aliqua, ut robustissimi viri portando fatigarentur. Quartâ, præcipuæ totius Sarmatiæ Civitates & Officiales, oblationibus suis, Reginam honoraverunt. Ingens & sumptuosissimum ea die spectaculum, accitis Gedano & aliis Urbibus ad hoc artificibus variis, Vladislaus Rex instituerat: quod tamen, infortunio aliquo, ad propositum Regis non desiit. Castellum, duodecim columnis fultum, erigi jusserat, in cujus quatuor angulis, quatuor ætates anni, Ver, Æstas, Authumnus, & Hyems, è nitrato pulvere factæ, conspiciebantur. Desuper Mars, equitibus comitatus, eminebat: qui à quatuor elementis, è nitrato pulvere similiter factis, ab omni latere cingebatur. Inerant Castello ipsi, ignes fusiles varii, & ex ipsis fenestris mortaria, & alia inventa Mavortia, prospiciebant. Ad hanc artificiosissimam machinam, cum, crepusculo vespertino, procederetur, ejus artis Magistri, rhomphæâ bis acutâ,

Sumptuosissimum spectaculum casu corrumpitur. 17. Sept.

acutâ, & nitrato pulvere farta, fusilium flammarum in morem, aliquanto tempore prælusere. Inde ad Castellum ipsum processum: cujus summitatem, duo præcipui ejus rei artifices, ad directionem operis, ascendebant. Quibus ignem applicantibus, nescio quo casu, scintilla decidit, & ad pulverem incendiarium, in ima Castelli parte collocatum, penetravit; adeoque, quod à summo debebat, ab imo incendium cæpit; & spatium horæ corrupit, quod in mediam usque noctem oblectare debuerat. Artificum, qui in summitate Castelli stabant, alter incolumis & sanus evasit, alter adustus, Perilli instar, invento proprio torquebatur. Quatuor tamen adhuc Ætates Anni, & Elementa quatuor, artificium spectatoribus aliqualiter ostendebant. Quintâ, à coronatione, die, tres præcipuæ Regalis Borussiæ Civitates, Gedanum, Elbinga, Thorunnium, Serenissimæ Reginæ munera obtulerunt. Quâ eâdem die, à Serenissimis, Vistula navigata: applaudentibus interim tormentis bellicis, & flammis fusilibus in aërem missis.

Spectacula variasequentibus diebus. Sequentes deinde aliquot dies, choreis Sarmaticarũ Virginum, hastifragiis Germanorũ Nobiliũ, Ursorum, Taurorum, Molossorumque invicem commissionibus, & spectaculis variis, à Rege, in hujus solennitatis gratiam, exhibitis, consumpti fuerunt. Nullis ad hæc sumptibus & pecuniis parcebatur: nec aliquid ab ullo, quod ad magnificentiam plausumque conduceret, Vladislao Regi insinuatum, quod non regaliter in effectum deduceret.

Tragicomœdia de S. Cæcilia, in theatro miri artificij, exhibetur. 23. Sept. Inter omnia autem spectacula, ultimis diebus solennitatis, à Rege exhibita, hoc potissimum admirationem meruit. Structum à mille viris & amplius, in aula Regia, versatile Theatrum erat, eo artificio, ut in formas quascunque, momento temporis, variaretur. Inprimis, velatâ diei luce, accensisque candelis, tota aula in noctis speciem variabatur. Tum, verso Theatro, jucundissimi Paradisi species comparuit: cujus rivi & arbores, mirificè oblectantes, cum in stuporem oculos & animos intuentium raperent, subito Paradisus in Civitatem pulcherrimam, fontibus, foris, & plateis distinctam, vertebatur; quæ mox, successivè, in fornices, scopulos, & saxa; inde in fluvios, mare liberum, sinus & freta, & novissime in Infernum desiit. Hujus aspectu in horrorem omnibus alteratis, iterum momento temporis, è tenebris, & è nocte dies, nubes & Cœlum, Cœlestis gloria, campique Elisii visebantur. Quibus inopinatò rursus oculis subductis, lætissimum ver apparuit, germinante terra, & pullulantibus rosis. Successit

Æſtas, imbres ſecum, fulgura, tonitrua, & aridas ſerenitates, repræſentans. Authumnus inde & Vindemia figurabatur: quæ in canam Hyemem, frigora, glaciem, nivem, gradines, ventos, & tempeſtates, mox deſinebat. His omnibus demum in profundas valles, altos Montes, & opaca nemora, ſucceſſivè transformatis, ſua theatro facies rediit: et, ſublatis velis, homines ſubito luci redditi; ita variarum rerum ſpeciebus in ſtuporem acti, quaſi illuſionibus falſi fuiſſent. Hoc autem omnes, etiam illi, qui plerasque Europæ Regiones peragrârant, fatebantur, nullibi aut induſtria, aut artificio, ſimile ſe ſpectaviſſe. Inter hæc, in eodem Theatro, Tragicomædia, S. Cæciliæ vitam martyriumque repræſentans, à S. R. Majeſtatis Muſicis, Italicè exhibebatur, eo veſtium ſplendore & magnificentia, eâ perſonarum agentium agilitate, quæ transfigurationibus illis intermediis correſponderet.

Regia Vladislai in Auſtriacos munificentia Hiſce ſimilibusque ſpectaculis quatuordecim diebus conſumptis, ad propria quilibet anhelabat. Itaque Vladislaus Rex, ut cum gaudio, qui Poloniarum Reginam Cæciliam Renatam, Viennâ comitati fuerant, in Auſtriam reverterentur, omnes, pro qualitate cujusque, Regiâ munificentiâ proſecutus eſt; ita quoque ſingulis largitus, ut ne viliſſimus quidem Agazo tranſiretur. Et quam copio-

copiosè donârit, ex hoc eluceat, quod fabro ferrario Viennenſi civi, curioſitatis gratia Varſaviam comitato, ſciens volensque, ſexaginta Taleros annumerari juſſerit. Ne eſſet nimirum, qui ditior non rediret, & ſingularis Regiæ munificentiæ fama, jam olim Orbi nota, per Urbes & Regna iterum proficiſceretur; nec minus univerſus Mundus munificentiam ejus, quâ paſſim liberaliſſimus Regum audiebat, quam virtutes bellicas & trophæa loqueretur.

Sed & Sereniſſima Archidux Claudia, quo eſſet crebrior memoria ſui, Aulicos Regios, & Sereniſſimarum, Reginæ, & Principis Annæ Conſtantiæ, gynecæum, muneribus liberaliſſime proſequuta eſt. Cui deinde Viennam iterum & Oenipontum verſus proficiſcenti, Vladislaus Rex, cum tota Domo Regia, ſex Varſaviâ milliaribus, ad Stanislaum Radzieiowski, Palatinum Lenciciensem, honoris gratia comitem ſeſe junxit. Ibi, cœnâ abſolutâ, Primus choreas Rex inchoavit: quæ in multam deinde noctem, maximâ omnium cum recreatione, trahebantur. Tandem, ſequentis diei mane, cœptum Sereniſſima Claudia Archidux proſequebatur iter: quam Sereniſſimi, Rex, Regina, Principes, Johannes Caſimirus, Anna Conſtantia, & Carolus Ferdinandus, *Archiducis Claudiæ liberalitas & in Auſtriam reditus. 26. Sept.*

Hf 2 ad

ad medium circiter adhuc milliare, ulterius deducebant. Tum, mixtis invicem complexibus, valedicentes, in diversa viarum avulsi, Vladislaus Rex, Serenissimis, Reginâ, Anna Constantia, & Carolo Ferdinando, Principibus, Comitatus, Varsaviam rediit: Claudia autem Archidux, Austriam versus, iter promovit. Quam Johannes Casimirus Princeps, quinque milliaribus ultra, Ravam usq;, Comes autem Casparus Dönhoffius, Palatinus Siradiensis, cum Illustrissima conjuge sua & filia, adusque Romani Imperii fines, jussu Regio, prosequebantur. Quæ deinde, postquam Eberstorffii cum Sacratissimo Imperatore Ferdinando III. de solennibus Varsaviæ omnibus, contulisset, incolumis, cum toto comitatu suo, Oenipontum reversa est.

Principis Sigismundi Casimiri nativitas An. 1640 1. April.

Interim Sarmatia paulatim, supremam matrimonii felicitatem anhelans, Divinam clementiam precibus quotidianis sollicitabat, ut, cum Regem Conjuge, Reginâ Poloniam benedixisset, illum prole, hanc novis Principibus beare dignaretur. Audivere tandem Superi vota, & populi adorantis affectum liberaliter adimplêrunt. Quippe Regina Cæcilia Renata, Anno, post Christum natum, 1640. 1. Aprilis, crepusculo matutino, hora quarta & octo minutis, (ut Lucas Grzymalla, utriusq; juris, historiarum, & Mathematices peritissimus, sedulo observavit) prolem masculam feliciter enixa est. Quantis, ô, tum Polonia gaudiis exultabat! Congratulabantur Serenissimis Genitoribus Primates, & natum modo Principem, inclyti jam Sueciæ Regni hæredem, in maximi Poloniæ Regni lactandi spem, suum velut olim futurum Regem, tacitâ animorum concordia venerabantur. Itaque Serenissimi Parentes, cum Polonia tota, largitori bonorum omnium, grates offerunt, reboatque, inter festivos ignes, in sparsis per Regnum Ecclesiis, immixtum chelis & Cymbalis, *Te Deum Laudamus.*

Baptizatur 15. April.

Decima quinta deinde Aprilis, hora duodecima, è Regia, ad baptismum, Christiano more, processum est. Præcedebant magno numero Nuntii Terrestres, aliique nobiles, qui frequentissimi, ob Comitia 19. April. inchoanda, ex omnibus Sarmatiæ locis convenerant. Hos Senatores varii & Marscalci sequebantur. Inde Princeps Carolus Ferdinandus, inter duos Ecclesiasticos Senatores medius, Infantem Principem portabat. Post hunc, Princeps Anna Constantia, inter duos sæculares Senatores media, ducebatur. Novissime Reginæ & ejusdem Principis Annæ Constantiæ gynecæum ibat. Ad portam templi S. Johannis, Serenissimi

 cum

cum perveniſſent, Johannes Lipski, idem qui nuper Culmenſis &Pomeſaniæ Epiſcopus, nunc Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas Regni, cum Clero occurrens, ad fontem baptiſmalem, cujus circumferentiæ veſte holoſerica auro intertexta, tum & lapidibus pretioſiſſimis fulgebant, introduxit. Ad quem cum perveniſſent, Sereniſſimis & Illuſtriſſimis, circum circa, in gyrum ſtantibus, Gneſnenſis Archiepiſcopus Sereniſſimum Principem, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* Sigiſmundum Caſimirum baptizavit. Patrini erant, Imperator Ferdinandus III. & Imperatrix: quorum perſonas Sereniſſimi Principes, Carolus Ferdinandus, & Anna Conſtantia, repræſentabant: Poſt baptiſmum & exquiſitiſſimam Muſicam, Princeps Anna Conſtantia, Infantem Principem Sigiſmundum Caſimirum, in ulnas ſuas accipiens, prope eodem ordine, in Regiam reportavit. Inde in arce, decollatis ferculis, propinationes fauſtæ, tubarum clangor, ſuaviſſima Muſica, & choreæ: in Urbe vero, Sclopetorũ exploſiones, ignes fuſiles, et, è quadraginta ſex grandiorib⁹ machinis, terna tonitrua.

Patrini, Imperator Ferdinand: III. & Imperatrix.

Plures ſolennitates Vladislai Regis, qui eo tempore gravius Podagrâ laborabat, morbus inhibuit. Qui utinam fortiſſimum hunc Regem, cujus vitam, tot ſtupendis victoriis, triumphisque, glorio-

Votũ Valetudinis, & longæ vitæ Regiæ.

247

glorioſiſſimam, ad benedictionem usq; nati Principis, & liberis, per Dei gratiam, liberrimæ nationis ſuffragiis, olim in Regno ſibi ſucceſſuræ Prolis, pro modulo meo deduxi, ad exterminationem, ruinam, & everſionem Monarchiæ Turcicæ, quam à fortitudine ejus facile nobis perſuademus, nunquam rediturus, deſerat. Utinam, dico, vigorem generoſiſſimi animi ejus, vigor corporis & valetudo (quæ, per Dei gratiam, excellentiſſimi Medici Andreæ Cnöffelij cura, in melius quotidie proficit) ſequatur, ut Sereniſſimus Infans Princeps Sigiſmundus Caſimirus, nullius alterius niſi fortitudine Patris, & crebris, de Ottomannica Domo, victoriis, ad paria & ſolium ejus erudiatur: Nos autem glorioſiſſimum Regem, in Thraciam, Conſtantinopolim, Aſiam, & Hieroſolymam, in Ægyptum, & Babylonem, victoriis præeuntem, calamo ſequamur. Ita vovemus: & claudo ejuſdem, cujus hoc opus cæpi, Senecæ verbis. *Dij illum Deæq; omnes terris diu commodent. Acta hic D. Auguſti & annos vincat, ac quam diu mortalis erit, nihil ex Domo ſua, mortale ſentiat.*

De Conſol: ad Polyb:

FINIS.